
COLAI
PERA.
usIII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

D. O. M. A.

De

NOTITIIS NATURALIBUS,

TRACTATUS SINGULARIS.

Philosophico-Theologicus.

In quo & de essentiâ earum, in quo ea post lapsum consistat, an in habitu, an potiùs dispositione aliquâ ex habitu amisso residuâ, & usu, effectis, amplitudine, ac speciebus disquiritur, extrema amoventur, media via eligitur, & fundamenta sententiarum distinctè partiteq; aperiuntur.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theologo. Apud Gedanenses Professore.

DANTISCI.
Ex Typographeio Viduæ GEORGII RHETII.
Anno à partu Virginis Matris,
M, DC. XLVII.

INDEX EXERCITATIONUM
Tractatus hujus.

INDEX CAPITUM
Tractatus hujus.

Perillustri ac Generosissimo Domino,

Dn. Sigismundo Güldenstern/

Lib. Baroni in Lundholm & Fuglewick/

&c. Serenissimi Polonorum ac Suecorum Regis Camerario intimo, Capitaneo Stumensi, Hæreditario in Grünefeld/&c. Domino suo Gratiosissimo,

S. Et Prosperitatem.

TEnue ac levidense exiguarum pagellarum opus offero, Perillustris & Generosissime Domine, Dn. Gratiosissime. Vile, si pondus attendas: Quippè positiones, quibus Pittacium adfixis thematibus identidem lacessitum fuit: Aliquid, si offerentis animum. Illum ampliora destinantem, Occasio, magnis sæpè rebus inimica, sublevare noluit, aut non ausa est. A Te tamen exspectari potest, qui & Regiæ Majestati pro alterâ manu es: & pro innato in literas favore omnia publico usui invigilata maximo studio promovere svetus es. Ausa hinc opella hæc illustri vultui tuo se inferre, patrocinium rogare, & vel abs Te occasionem exspectare, vel per Te aliundè impetrandam confi-

dere. Obſtante Naturâ irritus labor eſſe ſolet. Sed occaſione negatâ aut reluctante nihil quidquam ad ſolidum deduci poteſt. Multa, quibus obſiſtit, in ſpongiam incumbunt, etiam proba, & publicè utilia. Nunquam Ariſtoteli faſtigium eruditionis obrigiſſet, Nî Patronus Orbe major ille Alexander eveniſſet. Amplius, quo cultum meum G. T. præſentarem, jam non ſuppetiit. Sed Te Authore occaſio eſſe queat, ut ſuppetat. Irenicum, quod viſum lectumq; Tibi, ſtolidis quorundam ſannis impetitum, reſponſis ſuo tempore propugnandum, pro indicio apud Te eſſe queat deſtinatorum : Præſens Tractatus inſtar prodromi ad negotium religionis. Quippè, quousq; Naturâ duce de Deo ac religione provehi detur, quid majori lumini relinquatur, quibus modis & omittendo deficiatur, & committendo excedatur, quid fœdo contemptu attrahatur, quî inexcuſabile judicium incurratur, Quomodo ex Naturâ ad Scripturam procedatur, Dominumq; quærere, ſi fortè inveniatur, fas ſit, ſimiliaq; diſceptat, ac extremis præcavendis viam obruſſasq; ſubminiſtrat. Res ad religionis viam occupandam oppidò neceſſaria: Ad uberiorem Dei revelationem fida manuductrix. Ad allegata tamen quædam recurri neceſſum fuit, quæ nondum in luce, & quibus lucendi non occaſio. Patere ex nonnullis queat, quî tutiſſimè periculoſum Theologicorum mare ſulcandum, quid ad priſcam fidem Chriſtianam poſtuletur, quid uberiori profectui reſervetur. Auguſtum illud, tantoq; Rege dignum religionis negotium, divinitùs Regio animo illapſum, dignum votis omnium piorum fuit, ; meliore eventu. Sed mediis non ſatis ſtatutis aut acceptis, de illis, quæ manare inde ſolent, difficulter ſperatur. Nam & ſine illis non proficitur; & in arduis fruſtra tenta-

tur. Providebit fortaſsè iteratò Deus, Rex, Tu, Tuiq; ſimiles, tempore, quo Jehovæ Deo noſtro complacitum fuerit. Exoptabunt diem fideles, gaudebunt pacis filii, precibus à Deo exorabunt credentes exitum rei Chriſtianæ ſalutarem, tantæ ſpei reſpondentem, tantumq; Regem addecentem. Interea prodromum qualemcunq; accipe, Perilluſtris ac Generoſiſſime Domine, donec ulterioribus occaſio pandatur. Jure eum Tibi vendicas, ut diſceptationi locus eſſe non debeat. Aptiſſimè de literis judicas, ut gnarus: benignè, Ut Patronus. Tantò quidem tuo faſtigio minor eſt, quantò tu optimus literarum & Cenſor, & fautor es. Authorem tamen in clientibus tuis inſere, donec meliore Pallade ſe tibi repræſentare valuerit. Vale, Illuſtriſſime Heros, Deo Verboq; gratiæ ejus in proſperos ſerosquè ſucceſſus commendatus. Gedani. E Gymnaſio noſtro. 18. Calend. Auguſti. Anno M. DC. XLVII.

Perilluſtris ac Generoſiſſimæ
Excellentiæ Tuæ

Devotus ac Officioſiſſimus Cultor

Henricus Nicolai,
Prof. Philoſ.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

CUm in auctario *disp. 6. hujus Tractatus* quædam ad *C. 3. t. 15.* addita sint, & ea pluribus hic deducenda promissa sint, nonnulla ad meliorem rei, de quâ ibi actum, intelligentiam hic addenda erunt.

Vocem *Dei & Elohim* non penitùs unum de Deo significare ibi dictum est. *Scriptura* enim quando vocem *Elohim* adhibet, non præcisè Deum, ut unus, & essentia aliqua aut Spiritus est, quod & ex Naturá de Deo cognosci potest, intellectum aut repræsentatum vult, sed *aliquid specialius de Deo expressum* vult, quod nempe in Deo & à Deo jam ante secula est, & personarum nomine in Deo exprimere solemus. Sic *Gen. 1. v. 1. 2. 26.* Creavit Elohim cœlum & terram, Dixit Elohim, h. e. ille, qui & Deus est, & præterea aliquid plurale in se continet & involuit, unde plurali nomine Elohim vocatur. Sic *Gen. 20. v. 13.* etiam Verbum plurale nomini Elohim adjicitur, Ut omninò pluralitas aliqua voce istâ innuatur. Fecerunt me errare, (migrare,) Elohim. *Interdùm* singulari Eloah additur verbum plurale, Ut J*ob. 35. v. 10.* Ubi est Eloah, qui fecerunt me, Ut in Hebræo esse rectè advertit J*unius in h. l.* Et textus ipse ostendit. *Interdùm* nomen aliud plurale de Deo adhibetur, Ut factores dicatur. Ut *Psal. 149. v. 2. Lætetur Israël in factoribus suis*, vel facientibus ipsum. Et similiter, Ut latiùs in *Theologicis* deduci solet, Quando ex professo de voce istâ disceptari solet, Ut distributio aliqua & partitio, ac consequenter pluralitas hic involui debeat. *Sed cautè* tamen reliquas linguas, ut *Latinam & Græcam, hos loquendi modos Hebræos exprimere oportet*, Cum facilè aliquid vocibus involui queat, quod magnâ inaccuratione de Deo dicatur, Ut *vel*

Poly-

Polytheia & tres Dii introducantur, *vel* tria principia & virtutes creandi aut faciendi, *aut* tres essentiæ Creantes aut facientes, *aut* tres Creationes & operationes involui queant. Ita rectè inaccurationis notata phrasis *de trib. Causis sociis Creationis & salutis* fuit in *Goclenio in Inst. Log. Polano l. 1. Log. p. 14.* Et qui cum illis faciunt, *Bucano Loc. 29. q. 10. Piscatore anal. ad c. 1. Ephes. v. 7. Alstedio, qui tres salutis testes & Causas in baptismo* produci ait, *l. 4. Th. Schol. c. 35. t. 5. Bisterfeldio,* qui tres operum divinorum Causas socias facit, *l. 1. c. Crell. s. 1. C. 3. Dieterico,* qui similem phrasin in primis editionibus *Instit. Logicarum p. 77.* adhibuit, sed in posterioribus omnibꝰ omisit, ac similibus. *Tres enim Causæ tria principia important.* Causa enim omnis est principiũ in Causatum suum influens, Et tria principia tres Naturas & essentias agentes importãt, & tres essentiæ tres operationes involuere solent, Ut cum tres cantant, saltant, ædificant, quæ de Deo dici orthodoxè non possunt. Quamvis Ego *tres Causantes socios* congruè dici censeam, si voces absq; defectu, & cum eminentiâ sensus, quem importare possunt, de divinis materiis capiantur. Ista enim phrasis *subjecta tantùm agentia* exprimit, quæ in Deo tria sunt, Pat. Fil & Sp. S. Non virtutes aut essentiam, aut operationes, quæ in tribus unica. Sic *tres Creantes, Justificantes, Prædestinantes,* dici possunt: Sed *unus Creator, Justificator, Prædestinator.* Ut enim adiectivè dicatur, Creans, Justificans, sufficit multitudo *suppositorum agentium.* Ut substantivè Creator, Justificator, & significati formalis, Creationis & Justificationis, Virtutis Creatricis & justificatricis, multitudo requiritur, Quæ in divinis non multa, sed unica est, Ut pluribus in *Scholasticis* ostenditur. Quæ ex *Patribus* authoritates interdùm adferuntur, Illæ *vel* ad rem non sunt, sed ab nostris exemplis alienæ: *Vel* eadem inaccuratione loquendi laborant, ac vitari magis, quàm usurpari in lo-

quen-

quendi formis debent. Intereſt hic partìm in rebus, partìm in modis loquendi. Qui *quando periculoſi ſunt, & tutiores ac meliores pro illis haberi poſſunt, rectè incerta relinquũtur, tutiora aſſumuntur*, Vt primum principium habet. *V. C. 6. t. 9.* Ancipitia enim & incerta præ certis præcolere, avida, ac plerumq; fallax mortalium ambitio eſt.

2. *Dices: Elohim de unâ perſona* dicitur, *Gen. 1. v. 2.* Spiritus Elohim, h.e. qui eſt Elohim. *Pſ. 45. v. 8.* Unxit te Elohim, i. e. filium, *Hebr. 1. v. 9.* Eloheicha, Deus tuus, Pater, oleo lœtitiæ, i.e. Sp. ſuo. Ubi de ſolo Spiritu, filio, aut Patre vox uſurpatur. E. non præcisè pluralitas eâ involuitur. *R. Prius totũ falſum eſt*, & hoc ſenſu capi debet: Spiritus Elohim, ſc. Patris & filii, Cujus utriusq; Spiritus eſt, *Rom. 8. v. 9. 11. Gal. 4. v. 6.* Et qui duo, adeoq; plures ſunt, ut pluralitas omninò in voce Elohim implicetur. *Qui* Spiritum hic de Spiritu mundi per omnia à Deo fuſo accipiunt, Ut *Comenius & Hermetici quidam*, illi facilè reponent, Spiritum illum Elohim dici, quòd à Patre, Filio, & Sp. S. profectus ac inditus ſit, & ſic rectè pluriũ Spiritus dicatur. *Poſterius* ſenſum diſtributiuum implicat, & hunc habet: Unxit te, *Elohim*, ſcil. qui es unus ex Elohim, *Deus tuus*, qui etiã unus ex Elohim, qui reverà plures. Diſtributio autem omnis pluralitatem importat.

3. *Deinde*, Longè *aliud* etiam eſt, aliquid cum altero idem eſſe, & illud idem eſſe duabus diverſis vocibus præcisè repræſentari. *Homo & animal* rationale idem ſunt. Sed plus & diſtinctius tamen dicit an. rat: Ut genus & differentiam eſſentialem hominis, quàm homo. Aliàs nullâ explicatione & definitione rei opus eſſet, ſed rem appellare ſtatim rei eſſentiam explicare eſſet, quod ex Logicis & Phyſicis falſum eſſe ſcimus. Sic *Deus & Elohim* idem ſunt. Sed amplius aliquid dicit hoc, modos & ſuppoſita in Deo, quàm illud, quod naturam & eſſentiã tantùm dicit. *V. t. 1. Pluribus alibi de totâ hac re.* Hæc te ſcire volui, *Lector*, Quibus vale & fruere.

D. O. M. A.

D. O. M. A.

DE

NOTITIIS NATURALIBUS

EXERCITATIO I.

Existentiam & Definitionem Notitiarum Naturalium exhibens,

Disputationis Loco

Ad sententiarum Collationem in Gymnasio Dantiscano proposita,

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philosophiæ Professore Publico.

Respondentis partes tenente

JOHANNE WALTERO LESLE,

Dantisc. Borusso.

Ad diem Augusti, S. N.

In Auditorio Philosoph.

Horis Matutinis.

Dantisci. Typis Hünefeldianis.
Anno 1645.

6.

Generoso & Magnifico

Dn. GERHARDO PROENEN,

Capitaneo Sobowicensi, Sacræ Regiæ Maj. Polon. & Suec. Cameræ Familiari,

In Nassenhofen, Hochzeit, Mutterstrentz, & Neunhofen Hæredi,

Domino Gratiosissimo.

Item

Nobilissimo & Spectatissimo

Dn. JOHANNI SCHWARTZWALDIO,

Patritio Eminentissimo,

Evergetæ Colendo,

Disputationum harum primitias

Pro nundinali

offert, dat, consecrat

Respondens.

Carmina Gratulatoria.

QUi trepidante fugit præclaram corde palæstram,
Hunc etiam fugiunt pulchra brabæa simul.
Te juvat ast binas quando exercere palæstras,
Istis pro meritis bina brabæa manent.

Sic Auditori nostro solertiss. dilectiss.
applaudit
Daniel Lagus, P.P.

Literatissimo Dn. Respondenti, Fautori & Amico suo perdilecto.

ALtera jam nobis cœlo lux labitur alto,
A me cum peteres carminis officium.
Quod majus virtutis opus, sic fortè, loquendo,
Tum quærebatur, gloria quæve prior?
Rhetorem in augusto consistere ponte cathedræ,
Atq; Periclæis promere verba sonis?
An dubijs contorta plicis quæsita Sophistæ,
Viribus arguti solvere judicij?
Ardua, dicebam, res utraq;, quæq; requirit
Non nisi, cui mentem finxit Apollo, virum.
Ardua sit quamvis res utraq;, laudis amore
Tu tamen accensus fortiter aggrederis.
Hinc toties Svadę scandis Sophiesq; cathedras,
Mirâ animi dotes dexteritate probans.
Ex animo Walthere tuis ego gratulor ausis,
Hincq; tibi longè fama perennis eat!

Ita currente calamo gratulabatur
Wolfgangus Roßteüscher.

SUbnubam gentem trinæ tenuêre cohortes:
Aonidæa Patri servata, & Bellica Marti,
Hermea Majugenæq; relicta, & fœdera pacta, ut

Sub-

Subſidio mutuo cunctis gaudere daretur.
At ſtultum curæ ſubeunt vexantq; ſceleſtæ
Majugenam, Jovis malè libera regna ferentem,
[illegible]fida quo tandem tentet commiſcere bella.
Jamq; Patris ſocios acceſſit fœdere ſciſſo,
Perſuadens variè: fugitote hæc indiga clauſtra
Nunquam digna viris; mea quàm granaria ſplendent,
Abdite vos illis aut neutris eſte fideles.
Parricidale genus, ſic Jovea caſtra laceſſis?
Caſtra laceſſis iners, nam ſunt tibi neſcia damna;
Nobis invicto Jovi qui nomina faſſi
Noſtra ſumus, bona plura tuis melioraq; reſtant.
Quæ tibi ſunt, pereunt; quæ nobis, noſtra manebant;
Quæ tibi ſunt, fœtent; quæ nobis optima, fragrant;
Quæ tibi venaris, læti tandem aſſequimur nos.
Euge igitur genus Arcadicum tua ſigna ſequamur.
Nos potius, Walthere, Tuis hærebimus auſis,
Jovea qui conſtans adamas tentoria miles,
Quem clarum faciunt Gedani tot prælia docta.
Perge precor noſtram ſic exornare coronam,
Perge minas plebis ſic confutare trigrandis.

S.

Andreas Thuraw/ Gedan.

Ad Ornatiſſ. Dn. Reſpond.
De Principijs Primis, ſ. Naturalib. Diſp. *

NÆ *benè legiſti, benè quod Comenius inquit:*
Nemo poteſt Primis *invigilare nimis.*
Perplacet & ſpes eſt, aliquando ut ſis quoq; Primus:
Ad Prima *à* Primis *nam bonus eſt aditus.*

Intimæ Benevolentiæ teſtandæ & confirmandæ E. F.

Lucas à Lindâ Boruſſ.

* Vid. Comen. in Synopſ. Phyſ. p. 21.

D. O. M. A.

DE NOTITIIS NATURALIBUS, earumq; modis, attributis, usu, TRACTATUS SINGULARIS.

CAPUT I.

De Nomine & Existentiâ Notitiarum Naturalium, & necessitate ac utilitate doctrinæ hujus in Ecclesiâ Christianâ.

Resp. Johanne Waltero Lesle, Gedan. Boruss.

Cum quarumvis rerum scientia & in seipsâ laudabilis & liberali ingenio maximè appetenda sit: Ea tamen, quæ ad ipsum hominem *fertur, & reliquis antecellit, & præ cæteris ab homine expetenda excolendaq; est.* Turpe enim est, alienorum curiosum esse, & semetipsum ignorare. *Vaneq; hominem siderum altitudines marisq; profunditatem mirari* Isiodorus l. 1. d. summ. bono *scribit. Cum animi sui abyssum potiùs intrare, & si possit, mirari debeat. Seciùs enim, velut olim* Servium Sulpitium à Q. Mutio Scævola *graviter notatum objurgatumq;* Pomponius ICtus in l. 2. & Servius, 43. ff. de orig. Juris *tradit, quòd* Patritius *jus suum Romanum, in quo quotidie versaretur, ignoraret: Ita non minus acerbam reprehensionē homo incurrerit, quod & jus suū naturæ, in quo nascatur, ignoret, & quantum cognitionis in eo à Creatore communicatum acceperit, inquirere non sustineat. Parum attinet, si teipsum consumas, dum acta regum exterorum componas, quæq; passi invicem ausiq; sint populi, commenteris*, si bona aut mala propria ignores, & mala extinguere nequeas, sed aliena tantùm po-

 steris

ſteris noſcenda tradas? *Neq; proficit, exponere, quemadmodum* Annibal *Alpes aceto diduxerit, exercitu ſuperârit, confirmatum Hiſpaniæ cladibus bellum Italiæ inopinus intulerit, infractis rebus etiam poſt Carthaginem pertinax regna pererraverit, ducem ſe contra Romanos etiam ſine exercitu promiſerit, ſenex omnibus angulis bellum quærere non deſierit, ſine patriâ, ſed non ſine hoſte, vivere potuerit, ſi quid faciendum, quidvè fugiendum, ipſe nunquam conſideres*, quæ habueris, quæ amiſeris, quæ recipere poſſis, quibus inſtructus eſſe debeas, quibus caruiſſe æquum ſit, non animadvertas? *Quis tui ſtatus olim fuerit, quis hodiè ſit, quis in alterâ vitâ futurus ſit, quomodo felix aut miſer tandem eſſe cogaris, ad cogitata nunquam admittas? Eſt omninò homo tandem* & ſibi ipſi dandus, *animus in ſeſe revocandus & ad contemplationem ſui, ſaltem quantum licet, deducendus. Noſſe ſe & Deum, â Deo quotidiè* Auguſtinus *flagitabat: Simile hic cogitandum, opereq; iſto oſtendendũ eſt. Laborandum* in cognitione ſui, *& quid ad ipſum hominis ſtatum conducat, curatiùs perquirendum. Eum cum in* Converſione hominis ſpirituali peculiari Tractatu *aliquando edendo de eâ exhibuerimus; jam quid* in notitiis naturalibus *poſt lapſum reliquis ferat, quod inter Theologos & Philoſophos variantibus ſententijs diſceptari ſolet, pleniore aliqua diſceptatione deducere, Quod* Tractatu de converſione C. 3. t. 18. *promiſſum fuit, non inutile nec injucundum futurum viſum eſt. Multa enim inde ad ſtatum primævum hominis & præſentem, quo peccato demerſi agimus, facientia expeditiùs cognoſcentur.*

2. Terminus notitiæ naturalis â Philoſophis & Theologis *paſſim adhibitus* cognitionem aliquam ex ſolo naturæ lumine hauſtam, homini per connatam vim judicandi competentem, *propriaq; naturæ vi, non ſpecialis divinæ revela-*

tionis in scriptura lumine ab homine, ubi ad rationis usum devenerit, de Deo, honestorum ac turpium discrimine, generalibusq; veri principiis eruendam notat, ut pluribus ex definitione C. 2. t. 2. seq: patebit. Vox Notitiæ varia aliàs apud utrosq; significata habet. Sumitur interdum pro facultate cognoscendi, quæ congenita homini est. Quomodo notitiam σύμφυτον & potentialem vocamus: Interdum pro actu cognoscendi, quomodo notitia actualis dicitur, & in sensitivam & intellectivam dispesci solet: Quandoq; pro fide salvificâ, quomodo Messias notitiâ sui multos justificaturus dicitur, Esai: 53, ℣. 11. Quandoq; pro familiaritate & amicitiâ, quomodo notitiam amicis, consanguineis & familiaribus intercedere dicimus: Quandoq; pro inquisitione & experientiâ rei, quomodo Judicem notitiam causæ sibi comparare dicimus: Quandoq; pro extraordinariâ & divinitùs infusâ notitiâ, quomodo in Apostolis notitiam omnium linguarum fuisse dicimus: Quandoq pro ordinariâ cognitione, eaq; vel congenitâ luminis & facultatis judicatricis, quæ naturalis vocari solet, quomodo fermè hic sumitur, vel acquisitâ, quæ studio & inquisitione comparatur, quæ vel habitualis vel actualis, & hæc vel simplex, eaq; intuitiva & abstractiva, vel Complexa dici potest, eaq; enunciativa, illativa, & ordinativa. Derivatio vocis notitiæ Logica nulla est, cum ultimatè abstracta sit, aliundè Logicam denominationem non habens: Grammatica â noscere & notum esse est, nam & ipsæ aliquid scientiæ in se involvunt, & sic cognitiones essentialiter in seipsis sunt: Et nos aliquid scire ac novisse faciunt, & sic notitiæ effectivè ac ἐνεργητικῶς in nobis sunt. Vox naturalis notat interdū, quod in naturâ est, etsi ex naturæ principiis non fluat, quomodo justitia originalis naturalis Adamo dicitur, quod in naturam ejus Creatione implantata esset, & peccatum hodiè naturale est, quia cum naturâ hominis simul in hominem dirivatur: Interdùm, quod

quod è principijs naturæ fluit, quomodo videre & ratiocinari homini naturale est; Interdùm, *quod præter aut supernaturali, peculiaritèr revelato, artificiali, violento, fortuito, voluntario, libero, morali, aut distorto oppositum est, quomodo naturale homini, binas aures, oculos, manus, præternaturale unam aut unum habere, naturale uno, monstrosum bino capite præditum esse. Naturale soli moveri, igni urere, supernaturale stare, & non urere admotam materiam, naturale gravi descendere, violentum ascendere, naturale ponderoso premere, homini progredi voluntarium, naturale homini, fodiendo fatigari, Casuale & fortuitum fodiendo thesaurum reperire.* Cognitio alia naturalis, *ut auri, gemmæ,* alia revelata, *ut Christi, Trinitatis, Prædestinationis*: Resistentia alia naturalis, *ut in omnibus*, alia affectata & malitiosa, *ut in deploratis quibusdam, quomodo morosè & malitiose quidam spiritui S. operari volenti resistunt*, V. dec. 2. miscell. d. 7. t. 21. Qualitas *alia naturalis, ut pallor faciei, alia acquisita, ut rubor ex fuco: Naturale homini, generare hominem, artificiale statuam producere; naturale homini òculos rectos gerere, distortum luscioſos: naturale homini respirare, liberum cantare aut disputare: Pulmonum motus naturalis, non liber aut voluntarius; naturale homini gignere, crescere, morale mentiri, eligere, respuere, fortitèr, modeste, temperatè agere; bonum aliud naturale, aliud morale*: Interdùm *quod innatum vel congenitum est, quomodo qualitas aliqua naturalis dicitur, ut albedo faciei, alia adventitia, ut rubor ex pudore: Sic anima forma naturalis hominis, angelus assistens*: Interdum *quod naturali consecutione procedit, quomodo mors alia naturalis, cum naturaliter calor nativus extinguitur, alia violenta, cum violentè, ut cum laqueo quis suffocatur, ense trajicitur*: Interdum *quod naturæ debitum, conveniens, aut aptum est, eamq́; juvat, perficit, exornat, quomodo naturalis homini panis,*

nis,

nis, equo avena dicitur, potus alius naturalis, ut vinum, lac, cerevisia, alius innaturalis & alienus dicitur, ut urina, lixivium, oleum. Vario ſignificato *notitiæ naturales hic tales dici poſſunt.* Et ſubjectivè, *quia naturæ humanæ penitùs ſunt infixæ:* Et perfectivè, *quia eam ornant, juvant, perficiunt:* Et tranſitivè, *quia naturaliter & per naturam propagantur:* Et objectivè, *quia circa naturam partìm naturantem, ut Deum, partìm naturatam, ut Creaturas, verſantur:* Et effectivè *quia multa naturalia, per eas ab homine efficiuntur, quæ in poteſtate ſuâ homo habet, ut intelligere, ſpeculari, ratiocinari:* Et conſecutivè, *quia naturaliter animam rationalem conſequuntur, eiq́ debitæ & convenientes ſunt.* Derivatio vocis naturalis *à naturâ & naturalitate eſt. Quorum ſignificata in Phyſicis diſcuti ſolent.* Synonymia eſt, *quà etiã* communes notitiæ *vocantur, quia pro naturæ communitate & ipſæ omnibus hominibus communes ſunt, ut nullus ſit, qui non particulam aliquam de ipſis participet:* Notiones anticipatæ, *quia ſpecialem rerum notitiam antecedunt:* Principia & axiomata prima, *ſuprema, connata, naturâ nota, notiſſima, recta & ſana ratio, lumen naturæ inſitum, radÿ, ſcintillæ, reliquiæ, & rudera imaginis divinæ, quia poſt imaginem amiſſam adhuc in homine reſtant. Græcis* κοιναὶ ἔννοιαι, προλήψεις, δύναμις σύμφυτος, &c.

4. Exiſtentia notitiarum naturalium, & an reverâ in homine poſt lapſum eæ dentur, *quanquam non facilè ab homine dubitari aut negari debeat, cùm jus homini & animanti rationis compoti debitùm & conveniens, cui quaſdam notitias, ad quas ſe, ubi ad uſum rationis per ætatem devenerit, naturâ duce ſine alterius inſtitutione ipſe deducat, naturâ ſui ineſſe æquum eſt, hoc modo in dubiùm vocetur, quod eſt jus proprium ignorare vel impugnare velle, quod in Patritio valdè indecorum habetur, t. 5. Quia tamen à diverſis diverſimodè negatur, ut t. 36. patebit, prin-*

principio paucis demonstrandùm veniet. *Ne* de objecto *disceptatio suscipiatur, quod vel nuspiam in naturâ rerum inveniatur, vel inveniri ac dari sufficienter ostensum non sit aut ostendi possit. Quod utrumq; naturæ objecti disceptatorij adversum erit. Dari enim illud* vel in re, vel in *ratione nostrâ debet: Illudq; ad eum modum dari rationibus aut inductionibus sufficienter ostendi posse debet.*

5. Dari ergò Notitias aliquas naturales, partìm congenitas, partim & Naturæ contemplatione acquisitas, *ex scripturis, rationibus, & authoritatibus probari potest.* Ex Scripturis, I. argumentum ex historia & explicatione creationis, sumi poterit. *Si homo ad imaginem Dei conditus fuit, & post lapsum rudera imaginis in articulo Creationis supermanserunt, E. & notitias aliquas in intellectu humano supermanere oportet, quocunq; modo supermaneant, an per modum habitus congeniti, an facultatis & luminis, de quo diversitas occurrit,* V. C. 2. t. 5. seqq. *Dummodo verè supermaneant. Tales enim notitiæ ad rudera & lumen intellectus residuum pertinent. Aut in articulo etiam creationis rudera ista penitus extincta esse oportet, quod absurdùm, & in scholis Theologorum communitèr non conceditur, nisi ad Monichæismum veterem aut novum, delabi velimus, ut* t. 16. *patebit. Sed post lapsum rudera ista supersunt, ut communitèr conceditur. E. & notitias aliquas superesse oportet, quas naturales vocamus.* II. Ex notitiâ Dei naturali, Rom: 1, 2. *sumitur. Si datur in homine notitia Dei naturalis, solâ naturâ duce ex interno naturæ ductu mente semetipsam intuente, vel etiam creaturarum inspectione sine peculiari institutione hausta & residua, E. aliqua notitia naturalis datur, nam illa talis est. At prius est, ut contra negantes,* C. 5. 4. 2. seq. *patebit. E. & posterius.* III. Ex gentibus naturâ duce legis cognitionem haben-

habentibus, & ea quæ legis sunt, facientibus, Rom: 2, ṽ. 14. 15. *Si gentes naturâ duce aliqua legis opera faciunt, & legem in cordibus suis scriptam esse ostendunt, utiq; notitiam istam legis naturalem & ex naturâ, non institutione aut præcepto positivo haustam esse oportet, & si aliqua notitia post lapsum naturalis erit, sed prius est, ut* Rom: 2. c. l. *dicitur, Et* c. l. c. 6. *contra negantes ulterius probabitur. E. & posterius.*

6. Ex rationibus primum argum. *ex naturæ desiderijs etiam in brutis interdùm apparentibus, instinctu, & inclinatione sumi potest. Si naturaliter etiam bruta in finem inclinant, non communem solùm, ut universi perfectionem, sed & specialem ac proprium, ut sui ipsiùs conservationem, utiq; finem istum aliquâ ex parte cognitum esse, & sic multò magis in homine notitiam aliquam naturalem esse oportet. Nam ab institutione & doctrinâ, aut acquisita ista notitia esse non potest. At prius est, ut brutorum operationes docent. Sic* aves *nidos construunt, ut pullos excludant, cibos congerunt, ut eos alant,* formicæ *frumenta comportant, ut per hyemem alimenta habeant,* Aranei *telas contexunt, ut in illis hæreant, & muscas irretiant,* Apes *favos construunt, ut mella recondant,* Cervi *dictamnum quærunt, ut sagittas excutiant,* chelidoniam *hirundines sectantur, ut oculis succurrant, Clysteres injicit alvo Ibis, avis Ægyptia, ut ventrem expurget, multarumq; occultarum qualitatum vim â brutis homo didicit, ut Plinius* l. 2, cap. 26. & 27. *ostendit. Si in brutis talis notitia â naturâ inest, cur in nobilissimâ naturâ Homine, totalitèr eam negare velimus?*

II. A saluberrimis Ethnicorum præceptis & regulis vivendi, *quas præscripserunt, & in vitâ ipsi observarunt. Multa apud gentiles præclara monita, præcepta, apophthegmata, proverbia, exempla, & opera Politica ac civilia laudatissima extiterunt. Hæc* non *ex revelato DEI verbo hauriri, quod non habuerunt,*

nec

nec receperunt, nec *semper ex aliorum institutione, quam primi illorum, qui talia præcepta proposuerunt, non habuerunt*, nec *ex Judæorum, Ægyptiorum, Hebræorum, conversatione aut manuductione sumi potuerunt, ut de* Pythagorâ, Platone, *& alijs reponi solet, nam de omnibus gentilibus id dici non potest, ut* Aristotele, (*quanquam & hunc Platonis epistolio inductum ad Judæa loca navigasse ex Hebræorum tabellis* Franc. Georgi, T. l. harmon. c. 3. *tradit*,) Plutarcho, Seneca, Epicteto, alijsq; *quos Hebræorum conversatione usos esse non constat, qui tamen etiam præcepta utilissima reliquerunt. E. ex alio principio hauriri ista non potuerunt*, nisi ex lumine naturæ, *Et sic notitiam aliquam naturalem in homine esse oportet, unde talia deduxerunt & ad quam ut regulam sua gentiles conformarunt.*

7. III. A peccatis naturaliter agnitis & conſcientiæ excuſantis aut accuſantis naturali teſtimonio petetur. *Si peccatorum turpitudo & virtutis honestas naturâ duce sine lege positivâ cognosci potest, & conscientia naturalis ac domesticus sine ullâ institutione aut doctrinâ benè vel malè actorum index & vindex in homine est, utiq; notitiam aliquam naturalem in eo esse oportet. At prius est, ut exempla omnium hominum, etiam in summâ dignitate & potestate constitutorum, & qui ut supremi domini nullum mortalium in terris timere aut curare opus habuerunt, ut* Tiberij, Neronis, Caligulæ, Vitellij, Heliogabali, Sardanapali, ſimiliumq; *docent, Quomodo turpitudinem scelerum tandem agnoverint, propriæq; conscientiæ testimonio convicti ac damnati fuerint.* V. Svetonium in Neron: c. 34. In Caligula, c. 51. Tiberio, c. 69, aliosq;, *Undè rectè* Juvenalis Sat: 13. Prima eſt hæc ultio, quod ſe judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ, *Et postea*; Quos diri conſcia facti Mens habet attoni-

tos, & surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum, Pæna autem vehemens ac multò sævior illis, Quas & Cæditius gravis invenit aut Rhadamantus, Noctè dieq; suum gestare in pectore testem.

8. Ex authoritatibus *testimonia & gentilium & Christianorum adduci possunt.* Gentilium, *ut* Aristotelis, Senecæ, Epicteti, Ciceronis in Pisonem, pro Milone, & l. 1. de legibus, Lib: 3. Tusc: quæst: Halicarnassæi l. 7. aliorumq;. *Ex quibus quorundam testimonia* Meisnerus l. 3. d. legibus, q. 1. M. 3. *habet*. Christianorum partìm *veterum, ut Patrum Ecclesiasticorum, ut* Tertulliani in Apologetico, Ambrosii, Augustini, Theophylacti, Lactantii, Chrysostomi, *quorum verba adducit* Meisnerus c. l. Partìm *recentiorum, eorumq́. & Theologorum, ut* Chemnitij, Hunnij, Mylij, Rungij, Schrőderi, l. de principio Theol: c. 2. V. Meisnerum, c. l. *Et Philosophorum, ut* Philippi L. C. de Deo & lege naturæ, & l. 4. Dialect. p. 235. ut & lib. de anim: Scaligeri, l. 3. Poët. c. 1. Et exerc: 307. s. 22. Alstedij l. 1. Encyclopæd: c. 7. t. 6. Et par: 1. Pnevmat: c. 1. t. 5. Et pa: 6. Phys. c. 7. t. 3. Et part: 1. Th: natur: C. 2. t. 8. Et in Philosoph. dignè restitutâ, Archelog: c. 38. & J. Martini, l. 2. exerc: Metap: ex. 4. t. 1. & l. 1. part: Meta: s. 7. q. 4. Goclenij in Adversarijs ad Scal: ex. 60. & 18. In Lex: Philosoph: voce notitia. Sagittarij exerc: Phys: 24. Aliorumq;, *cum de notitiâ Dei naturali aut lege naturæ agere solent, ubi communiter notitias naturales concedere solent, etsi in modo, quo naturales sint, interdum divertant, ut* c. 2. t. 5. seq: patebit. *Ac passim recepta apud* Philosophos *de communibus notitijs, apud* ICtos *de jure naturali*, Theologos *de reliquijs imaginis divinæ, & eruditos de lege ac instinctu naturæ sententia obtinet & defenditur, nec facilè res ipsa à quo-*

dam cordato in dubium vocatur aut negatur, etsi de rei modo disceptatio inter Philosophos sit, ut c. 2. *dicetur. Et* ipsis Adversarijs, *ut* Photinianis, *qui plerumq; naturalem Dei cognitionem negant, ut* t. 16. *patebit,* Volkelius in respons: ad van. refut. Smiglecij c. 4. p. 28. *notitias innatas concedit,* quando ea rationi repugnare ait, quæ notitias nobis innatas evertunt, quo pacto illi faciant, qui bis 4. esse 8. negent. Socinus *in omnibus hominibus naturaliter aliquod justi & injusti discrimen esse ait, quo honestum turpi anteponi debere fateri debeant.* c. 2. Præl: Theol.

9. *De* connatis notitijs *hactenus:* Acquisitas ex naturæ contemplatione in homine usu rationis prædito & naturam inquirente dari manifestè *Apostolus* Rom: 1. v. 20. *docet, ubi invisibilia Dei per ea, quæ facta, intellecta conspici ait, ac ulteriùs varijs argumentis è ratione petitis, ut mundi creatione, quæ à naturâ perspici potest, Creaturarum ordine, pulchritudine, & variatione, Creaturarum sustentatione & gubernatione, variorum beneficiorum communicatione, quibus non intestatum se Deus in naturæ regno reliquit, meteororum in aëre variâ apparitione, ut cometarum, fulminum, fulgurum, multisq; alijs rationibus probari potest. Quæ quia omnes ad naturalem notitiam* de Deo *probandam conferri solent, de qua* C. 5. t. 2. seq. *agetur, eò illas differemus;*

10. *In* oppositum *circa notitias naturales* & excessu, & defectu *peccatur.* Excessu 1. à Platonicis, *& qui eos sequuntur, qui non tantùm quarundam notitiarum semina nobis connata, sed omnes scientias animabus congenitas docent, ut si in ætate adultâ per usum rationis homo scientiam sibi acquirat, ejus tantùm, quæ in animâ fuerit, quædam reminiscentia sit, ad quam ab extrinsecis objectis aut informatoribus aliisvè medijs excitetur. Et si oblivi-*

scatur

ſcatur rerum anima, ex immerſione ejus in Corpus id contingat. Ita Plato in Phædro, Menone, & L. 10. d. Republ. Prout de eo teſtatur Cæl: Rhodiginus l. 20. Ant. Lect. c. 9. Qui & ipſe ita ſentit, l. 10. c. 16. Et cum quibus Platonici plerią, ut Proclus l. 1. Com: in Evclid: c. 15. Plotinus Ennead. 4. l. 8. c. 1. Alcinous, Jamblichus, Porphyrius, Lydius, Macrobius, & ſimiles faciunt. Pythagoreis ſimile quid adſcribi ſolet, quòd Mathematicas artes recordationes quaſdam ejus ſcientiæ, quam anima ante corporis conjunctionem habuerit, fecerint. V. Keckerm. in prolegomen: Mathemat: p. 23. Et Pythagorę talem ſententiam tribuit Auguſtinus l. 12. d. Trinit. c. 15. Neq; Origenes ab eâ procul eſt, l. 1. d. princ. c. 7. Falſum hoc eſſe patet 1. Ratione. Si ſcientiæ eſſent homini congenitæ, non opus eſſet labore & curâ eas de novo comparare. At poſterius experientia teſtatur. Et Plato ipſe Philoſophando ac exercendo varias ſibi ſcientias comparavit. 2. Animæ humanæ unitæ non extiterunt ante corpora, ſed ut formæ naturales ſuorum corporum in corporibus formantur, ſ. per creationem, ſ. per mirabilem accenſionem & propagationem, ſ. per alium modum id fiat, de quo Dec: 2. miſc: d. 3. actum, & in illis ita hærent, ut ab illis non niſi per ſtatum violentum abſtrahantur, ut compoſitum emoriatur, ut experientia patet. E. nec ante corpora aliquid ſciverunt, ut corporibus junctæ ſcientia noſtra tantùm reminiſcentia ſit. 3. Reminiſceretur aliquando homo per memoriam intellectivam, ſe in infantiâ ſcientias iſtas connatas habuiſſe. Intellectiva enim memoria inorganica eſt, & organis corporis non utitur, ut ea impedimento eſſe non poſſint, quo minus recordatio provectiore ætate in homine fieri poſſet. Reminiſci enim eſt rei cognitæ, ut antea cognitæ, recordari, & ſcientem latere non poteſt, quòd ſciat. Et ſic ſcientiæ recordari nos omninò oporteret. At hoc nemo hominum unquam

quam experitur, sed omnes se in infantiâ nihil scivisse fateri coguntur. 4. Si scientiæ à naturâ essent in homine, aut *in specie humanâ tota*, aut *singularibus quibusdam Individuis essent. Si in tota specie, E. & in stupidissimis ingenijs & gentibus, ut* Thracibus, Arcadibus, Barbaris, Antropophagis, *& similibus. At tantum abest, ut à natura hi scientias habeat, ut ne summa quidem curâ & labore docti eas capere possint, ut stupor eorum proverbio locum fecerit. Si in quibusdam ingenijs, E. non est communis ista notitia, sed peculiari privilegio quibusdam concessa. At unde tale quid constabit, & quomodo nascendi diversitate quidam ita distinguentur, ut alij scientias connatas habeant, alij non? Et quis etiam ingeniosissimus recordari potest, se unquam tales scientias habuisse, cum omnes eas magno labore comparare sibi cogantur.* 5. Authoritate, *ut* Aristotelis *varijs in locis, ut* l. 3. d. anim. & l. 1. & 4. Metaph. *Et alibi, ubi sententiam istam* Platonis *refutat, etsi* Jamblichus & Bessario *eum in illâ pertrahere conentur.*

II. *Dices* 1. Mens nostra speculum quoddam *divinitatis est. E. & species quasdam sibi impressas habebit, ut Deus.* ℞. Speculum est, *sed in tantum, non totum. Similis est Deo ex parte, sed non æqualis. Unde magna differentia inter intellectum Dei, qui totus sibi, solus, inexhaustus, infinitus, purissimus, merus actus, & rerum omnium prima idea est, & nostrum, qui particula est, sensualibus immersus, finitus, ab alio pendens, actus impurus, & ideatum, ac ad primam ideam factum quid est, quiq; à Phantasmatum, quæ à sensibus accipiuntur, speculatione in intelligendo incipit, ut si illa non essent, intellectus non esset. Non ergò species aut scientias à naturâ impressas habere eum necesse est.* II. Mens nostra ex mente divinâ, ut portio prodit. *At mens divina perfectissima est, E. & nostra. Effectus enim imitatur suam causam.* ℞. *Mens nostra ex mente divina est, non ut pars ex toto,*

toto, aut materiatum ex materia, sic enim Dei esse immateriale, simplex & impartibile est, ac nullius rei creatæ compositio esse potest, ut dec: 2. miscell. d. 3. t. 2.7. docui, sed effectum ex efficiente, & imago ex idea. At tale quid non semper perfectionem efficientis imitatur. Sic DEus infinitus, spiritualis, mundus finitus & corporeus. Omnia sunt ex Deo, Rom. 11. ℣. 36. 1. Cor. 8. ℣. 6. Nec omnia ita perfecta, ut Deus, sed longè infra eum. Sic imago hominis, Leonis, Elephanti, longè imperfectior ipsis rebus.

12. III. Homo interrogatus per naturam rectè respondere ad res potest, & sic interrogatione velut excitatur tantum. E. rerum scientias in se habere oportet. ℟. Antecedens si de rebus scientificis loquatur, totum falsum est. Sic enim homo de rebus Mathematicis, Physicis, Metaphysicis, Medicis, interrogatus, si eas non didicerit, non rectè, sed alienissimè & ridiculè respondebit, ut experientia in idiotis interdum testatur. Si interdum rectè respondeat, ex judicio & facultate judicandi, rationandi, discernendi, combinandi, & veri intellectui objectum approbandi, ex lumine ac dispositione, quæ menti congenita est, id contingit, non quòd rerum scientia actu eidem sit innata. IV. Omnis creatura necessarijs ad suam operationem à Deo instructa est. E. & intellectus hominis scientijs ad intelligendum necessarijs. ℟. Illis necessarijs, quæ ad operationem absolutè requiruntur, Qualia vis rationandi, apprehendendi, componendi, inferendi, ordinandi, ad intelligendum, lumen aliquod intellectus & judicium naturale, quæ naturaliter menti innata: non quæ ad operationem meliorem, subtiliorem, distinctiorem, accuratiorem, & pleniorē requiruntur, Quæ per scientias, prudentias, habitus organicos, & similia comparantur, non connascuntur. Vis rationandi naturalis est: Ut distinctè, judiciosè, accuratè, & ordinatè ratiocineris, Logicum & artificiale est, & addiscere oportet. Hic verum est illud: Natura

inci-

incipit, ars perficit. *Scientiæ in artificialibus sunt, non naturalibus. In Adamo concreatæ, in Apostolis infusæ fuerunt, in nobis ordinariè non nisi acquisitæ esse possunt. Sic homo mediantibus sensibus phantasmata recipit, species format, componit, dividit, discurrit, observat, eruit, sic veritatem latentem educit, notam facit, & scientiam tandem acquirit.*

13. V. Quę discimus, vel nota sunt nobis, vel ignota. *Si nota, jam ea scimus, non discere necesse est. Si ignota, discere non possumus. Perinde ac quis servum, quem nunquam novit, quærat, in eum etiamsi incidat, nunquam agnoscet, quia antea nunquam cognovit. Sic ignotorum non potest esse agnitio, etiamsi ea reperiamus, nisi antea noverimus. E. scientia nostra est eorum, quæ jam ante novimus, & sic vera reminiscentia.* ℞. Quæ prorsus & omni modo sunt ignota, *disci non possunt. Sed quæ discimus, ex parte sunt nota, in principijs nempè suis & seminijs, in quibus virtute latent, & è quibus intellectûs & discursûs beneficio à nobis eruuntur; ex parte ignota in conclusionibus & consequentijs suis, quas ex principiorum virtute deducimus. Et sic quadantenus ignota ex quadantenùs notis deducimus, sicq; scientiam comparamus. Sic servus ignotus ex certis signis notus fieri potest, ut repertus agnoscatur. Ita conclusionem ex principijs agnoscere possumus, etsi antea ignota fuerit.* VI. Ex vi universalis non venitur in cognitionem cujusvis particularis. *Ut, qui novit omnem binarium parem esse, non statim novit, eum, quem manu teneo, binarium talem esse, cum binarium esse nesciat, utpote absconsum. E. particularium scientia ex notitijs connatis educitur.* ℞. *Qui novit binarium esse parem, etiam in virtute & potestate illius hunc & istum binarium talem esse novit. Et ubi actu ac in particulari aliquem binarium cognovit, ut quem manu teneo, & illum parem esse vi universalis notitiæ cognoscit. In universali enim virtute*

omnes particulares latent & continentur, & proinde in notitiâ inde deducuntur.

14. VII. Quæ ab extra in rebus cognoſcuntur, tantum accidentia & circumſtantiæ ſunt. E. intrinſeca rei eſſentia & forma aliundè eſt cognoſcenda, ab insertâ nempe ideâ & formâ aliquâ, quæ in mente noſtra eſt. ℞. Eſſentia rei *per iſta externa opera & accidentia formis complicata & connexa, beneficio rationis eſt agnoſcenda, nullâ inſertâ ideâ & formâ hic opus. Sic Dei eſſe per opera venamur & creaturas*, Rom: 1. ℣. 20. *Nec tamen ejus idea menti noſtræ inſerta, ut* Plato *ipſe agnoſcit. Multarum etiam formarum ratio à priori nos latet, & nonniſi per externa, circumſtantias, accidentia, operationes, & ſimilia patet*, V. Scaligerum ex. 307. ſ. 12. 21. Conf: Dec: 2. Miſcell: d. 2. t. 1. VIII. Naturaliter homo ad ſcientiam inclinat. E. ejus ideam intrinſecè notam habere oportet. *Ignotorum enim nullum deſiderium eſſe poteſt.* ℞. Ex eo ipſo, *quo naturaliter ſcientias appetimus, eas nobis non connatas eſſe colligitur. Appetitus enim eorum eſt, quæ non naturâ habemus, ſed quibus privati ſumus, & quæ vel arte, vel ſingulari Dei beneficio, vel alio modo comparare poſſumus. Quidvis per ſuam formam & naturam appetit ſibi bonum & perfectum, non quòd ideam ejus menti ingenitam habeat, ſed quod naturalis appetitus ad ſui perfectionem ei congenitus ſit. Sic civiliter beati eſſe appetimus, nec ideam ejus menti à naturâ impreſſam habemus.*

15. 2. In exceſſu peccant Weigeliani, Paracelſiſtæ, Enthuſiaſtæ & Fanatici quidam, *qui omnem ſcientiam ab intra ex homine educendam, nullam ab extra per libros, inſtitutionem, aut doctrinam in eum invehendam cenſent, fruſtraq; doceri verbum Dei, legi, aut conſiderari putant, ſi non ex interno homine, angelo, aſtro, lumine, ipſa ſpiritualis rerum ſcientia educatur;*

ut

ut Weigelius & Paracelsus varijs in locis, ut Tract: de Conversione C. 2. t. 7. & c. 7. t. 4. *allegavi*. *Et ex* Postillâ Weigelij, Gnoti Seauton, Tract. de deduct. ad scholam Dei, libello disputatorio, Studio universali, Tract. de Gelassenheit/ alijsq; scriptis *patet*. Falsum *& hoc est*. 1. Si omnes scientiæ ex homine educi possent, *non scriptura intellectum in spiritualibus cæcum, tenebras, & aversum diceret, quod passim facit, ut* c. l. t. 4. *ostensum*: Nec *Philosophi eum in naturalibus ita stupidum quererentur, ut nihil ferè solidi se intelligere posse fateantur, quod etiam passim faciunt, ut* Dec: 2. misc: c. l. *ostendi*. *De quo etiam* Scriptura *conqueritur*, Sap: 9. ℣. 14. seq. Aliud aptitudo, *quâ quis doceri, discere, & inquirere in scientijs potest, hæc naturalis in homine est*: Aliud ipsa scientia, *quæ studio, inquisitione, & usu acquirenda est, aut divinitùs infundenda*. II. Si nulla scientia ab extra *per libros in hominem inducitur, frustrà libros scribunt & aliorum scripta legunt* Weigeliani ac Paracelsistæ. *Cui enim bono ista, si ab interno homine cuncta deduci possunt? Sed illa tamen ipsi diligenter interdum agunt*. III. In spiritualibus semper *ad Dei revelationem verbo factam remittimur*, Deut. 6. ℣. 6. sequ: c. 11. ℣. 18. seq: Esai. 8. ℣. 20. Matth. 11. ℣. 27. Luc: 10. ℣. 22. *Nunquam ad astrum aut lumen & hominem internum. Et eum in finem Scripturam exarari Deus jussit, ut* illa *nos sapientes ad salutem redderet*, 2. Tim: 3. ℣. 15. 16. *Non ergò spiritualia ex interno homine naturali haurienda*. 3. In excessu *peccant*, qui *notitias per species impressas connatas in brutis, aut per habitum aliquem congenitum in homine ponunt, ut* Scaliger *& alij*, *De quo* c. 2. t. 6. *videbitur*. 4. Pelagiani, *qui per eas hominem etiam ad Deum converti & salvari potuisse ajunt*. *Quorsum &* Puccius *& quidam* Papistarum ac Reformatorum *pertinent, ut* C. 4. t. 15. 16. *videbitur*.

16. In

16. In defectu *peccant quidam* directè, *quidam* indirectè. *Directè* 1. Qui omnem cognitionem naturalem *de Deo sive insitam & connatam, sive ex creaturis acquisitam inficiantur, totumq; id ex famâ, auditu, & doctrinâ esse ajunt,* von hören sagen. *Ita* Photinianorum *nonnulli, ut* Socinus c. 2. prælect: Et respons. c. Cuttenum 5. Et in Miscellan. p. 68. Ostorodus c. 1. Instit: *Quamvis ex iisdem* Volkelius *notitias innatas apertè concedat, ut* t. 8. *dictum.* Photinianis Arminianos *conjungere vult* Peltius in harmoniâ, art. 1. *Sed locus ab ipso adductus rei ostendendæ vix sufficit. Et ferè ad excessum illi inclinant potius,* C. 4. t. 51. Rab. Mo-si Ben Maimon *eadem sententia adscribi solet. Sed recenset ille eam, non tenet, ut rectè reposuit* Ferrariensis l. 1. co. Gentes, c. 12. *Nam pro probandâ Dei existentiâ ex naturâ rationes varias adducit Idem* Rabbi in More Nebochim p. 1. c. 71. Et p. 2. c. 1. *Naturali ratione Deum esse evidenter demonstrari posse negavit vel dubitavit Rabbi iste, ut* Thomas q. 10. d. veritat. a. 12. & Valentia T. 1. d. 1. q. 2. p. 2. Tannerus aliiq; *narrant,* V. C. 5. t. 12. *Non autem Deum esse, aut naturaliter cognitum esse, negavit.* Calvinum & Heshusium *in eandem sententiam pertrahere laborat* Bellarmin. 4. d. lib. arb. c. 2. *Sed non sine perversione,* V. C. 5. t. 14. 2. Qui insitam de Deo cognitionem *negant, etsi acquisitam & ex Creaturarum contemplatione haustam concedant, ut ex iisdem* Photin: *nonnulli, ut* Smalcius d. 1. c. Frant. t. 77. Et d. 8. posteri. f. 6. Crellius l. de Deo & attributis div: c. 2. sequ: *Quem librum pro cognitione* ex creaturis sumpta *allegat* Stegmannus in proba c. Bots: c. 2. t. 7. *eamq; â suis non negari inde infert.* 3. Qui post lapsum *in homine notitiam de Deo aut Dei cultu naturalem negant, etsi ante lapsum fuisse concedant, quod per lapsum ipsam hominis substantiam Theologicè mutatam censeant. Ut* Flacius in

Clave p. 5. Voce Lex, & alij, *ut* Spangenberg & Fraxineus, *qui plerumq; eum defendere solent. De quibus* Tr. d. Convers: c. 2. t. 7. *dixi. Eos etiam sequitur* Hofmannus & alij, *ut post constabit.* Indirectè, *ut* 1. *Illi, qui Adamum in statu integro cognitionem luminis naturæ habuisse negant, ut* Paracelsus l. d. vermibus, c. 5. *Cum tamen quicquid perfectionis in homine post lapsum est, ante lapsum majore modo in eo fuerit, cum reliquias tantùm hodiè homo retinuerit,* c. 2. t. 11. c 3. t. 12. Illi, *qui in totum Deum esse negant, aut dubitant, ut Athei, Epicurei, alijq;, de quibus* C. 5. t. 9. *Qui & consequenter omnem Dei notitiam negant.* 3. Illi, *qui etsi Deum esse naturâ notum ajunt, an tamen spiritus, omnipotens, liberrimus sit, non constare dicunt, ut* Tostatus in c. 5. Exod: 4. Illi, *qui omnes notitias naturales post lapsum in irregenito falsas, Deo ingratas, impias, & Theologiæ contrarias dicunt, ut qui* contrarias veritates, *Philosophicam & Theologicam introducunt, ut* Hoffmannus, Olearius, Kittelmannus, Sluterus, alijq;, *de quibus latè* Coron; Logicâ t. 24. *actum. At veritas naturæ & veritas Scripturæ utraq; veritas, & à Deo est.* Rom: 1. ℣. 25. *Veritas autem veritati non adversa, sed diversa & disparata est. Hæc omnia quia ad speciem aliquam notitiæ naturalis de Deo & lege naturæ, pertinent, in speciebus istis* C. 5. & 6. *uberiorem explicationem habebunt.* V. & c. 4. t. 1. 2.

17. *Hic* generalia quædam argumenta *solvenda erunt, quibus notitijs naturalibus contra iri possit.* Dices. 1. Si notitiæ naturales dantur, *cur in Americanis, Japonensibus, alijsq; Barbaris ita obliteratæ sunt, ut nec Dei, nec honesti aut turpis notitiam ullam aut discrimen illi habuerint, nec ulla talis notitia in illis se exseruerit?* ℞. *Aliud latere & suffocari est, aliud abesse. Latuerunt notitiæ istæ in barbaris ob malitiam & affectatam ignorantiam, ut & in infantibus ob rationis usum nondum habilem latent, non au-*

tem

tem penitus absunt. Sic in dormiente ratio latet, non abest. Deum esse non prorsus ignorarunt, cum & Diabolum Dei loco adoraverint. Semina etiam virtutum Civilium, justitiæ, prudentiæ, temperantiæ, castitatis, Veracitatis ostenderunt, Quidam animæ immortalitatem crediderunt, ut Lerius, Benzo, *& alij memorant,* V. Tract. d. Converſ. C. 6. t. 7. *Quæ notitiarum naturalium indicia sunt.* II. Si innatæ notitiæ in homine ſunt, *undè tantæ de Deo, animæ immortalitate, bonorum præmijs dubitationes, etiam in renatis, ut vix in tentationibus interdum illas superare possint.* ℞. *Ex infirmitate carnis, ex astu, malitiâ ac suggestione Sathanæ id est, non mentis ignoratione. Caro & Spiritus in renato, Affectus & ratio in irregenito perpetuò pugnant. Quod alterum affirmat, alterum destructum vellet. Sed non tàm ignoratio, quàm malitiosa dissimulatio, negatio, & ejus, quod inest, suppressio est. Multa sciuntur, sed ac si non scirentur, supprimuntur. Et in tentationibus non Deus nescitur, sed judicium & ira ejus metuitur, & de gratiâ ejus ac benignâ assistentiâ & defensione paternâ dubitatur. Hostem enim & vindicem præsuminus, non Patrem.* III. Nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu. *E. notitia aliqua connata non est.* ℞. *In notitiâ nempè acquisitâ, cum homo usu rationis inquirere & contemplari incipit, â sensibus incipit, & per sensualia species formare ac intelligere incipit, deq; eâ Canon valet, non connatâ. Et in sensu esse aliquid potest* vel per ſe, vel per effecta, vel oppoſita ſua. *Sic Dei effecta in mundo videmus, ex illis Deum esse rationando colligimus. Effecta Diaboli in* obſeſſis *videmus, ut ignotis linguis loqui. Inde diabolos esse immotè colligimus.* V. Michaelia. t. 3. Confer t. 16. c. 2. IV. Scriptura pro ſingulari beneficio inſcriptionem legis divinæ in cor hominis adducit, Jerem. 3. ℣. 31. Hebr. 8. ℣. 10. *E. per naturam inscripta non est.* ℞. Gratioſam nempè in-

inscriptionem, *quà non solùm generaliter cognoscitur, quod Deus sit, & quòd colendus sit, sed specialiter, quis & qualis ille sit, quomodo erga nos affectus sit, quòd etiam Deus noster, nobisq; in Christo propitius esse, peccata remittere, eorum non meminisse, novum fœdus erigere velit, Et vires ad obediendum legi sufficere, Quæ* c. l. *simul adduntur. Qualis inscriptio non naturâ innascitur, sed peculiari Dei gratiâ menti infunditur, Et peculiare gratiæ beneficium, non naturæ donum est.*

18. Post existentiam notitiarum naturalium *necessitas, utilitas, dignitas, & jucunditas hujus doctrinæ in Ecclesia paucis perstringenda.* Necessitas *patet* 1. *Ex rei ipsius conditione. Quia notitia hæc humana notitia est, utiq; hominis conditionem scire necessum est. Ne aliena extra se sciat, & se ipsum nesciat,* t. 1. 2. Ex scripturæ attestatione. *Quæ naturales aliquas notitias de homine exprimit,* t. 5. *Ut ejus ergò dicta de illis loquentia explicentur & intelligantur, doctrinam hanc in Ecclesia tradi & excoli necessum est.* 3. Ex rei utilitate, *de quâ postea. Necessitas autem hæc intelligenda non absoluta, nec pro omnibus simplicibus Christianis, quasi sine hac doctrinâ salvari non possent, quibus simplex in Christum crucifixum fides sufficit, ut* lib. 1. de simplic; fidei c. 2. 3. *docui:* Sed respectiva *pro meliore & uberiore cognitione, majore discentium ac docentium in Ecclesiâ profectu, & consummatiore judicio. Vide, quæ in simili* Tract. de Conversione, c. 1. t. 3. *dicta.* Utilitas doctrinæ partim *ad Deum, ut quid ille dederit,* partim *ad hominem referri potest, ut quid is à Deo acceperit, in Adamo perdiderit, post eum retinuerit, aut ex parte recuperare possit, distinctè pleneq; sciatur, Et ex utilitate ipsius rei, de qua* c. 4. t. 12. *pleniùs patebit.* Dignitas *doctrinæ hujus* & ex rei ipsius *excellentiâ, quæ residua ex imagine divinâ, quam excellentissimum naturæ humanæ donum primo homini con-*

creatum, & scientiæ, justitiæ, ac sanctimoniæ perfectionem fuisse in Loco de Imagine Dei doceri solet, Et ex Ephes. 4. ℣. 24. Col. 3. ℣. 10. *patet, portio est*, Et ex *fructus ad homines redundantis ubertate patet, qui & per has notitias à brutis discernuntur, & angelis, quibus concreatæ notitiæ sunt, ut* in Michaëlib. t. 25. *dictum, assimilantur, Et ipsi in suâ societate multum fructus, tàm in theoreticis, quàm practicis, experiuntur, ut* c. 4. *patebit.* Jucunditas *deniq; ex ipsius hominis consideratione efflorescit. Si enim cœlorum, terræ, maris, aëris, plagas scrutari, quæq; in illis observantur, indagare mirificè oblectat: Cur non ipsius hominis & animæ ejus, in cujus intellectu notitiæ naturales eminent, profunditatem scrutari voluptatem vegetis ingenijs adferat, cum omnis cognitio rei liberaliter scibilis jucunditate aliquâ scientem perfundat? Cognitio etiam hæc imaginem divinam in homine restaurat. Eam autem restaurari non potest non insignem jucunditatem in eo, qui benè rem considerat, conciliare, cum propria perfectio in eo restauretur. Vide, quæ* de Conversione c. l. t. 5. *dicta.*

CAPUT II.

De definitione notitiarum naturalium.

E*Xpositâ* existentiâ notitiarū naturalium *usuq; ac necessitate doctrinæ hujus traditâ* ad rem ipsam *tradendam progrediendum erit, quam pro doctrinæ melioris methodo* absolutè & respectivè *tractare poterimus.* Absolutè *in seipsa citra collationem cum aliâ spectatâ. Ita* in definitione, causis, attributis, subjecto, & divisionibus *spectari poterit.*

2. Definitio *hæc esse queat*: Notitiæ naturales sunt notitiæ humanæ, à Deo ortæ, quibus homo ex lumine intellectus insito, & facultate Critica ac dispositione congenitâ

veritatem theoreticarum & practicarum rerum naturâ cognitarum videre & agnoscere, ac rationis usu accedente in ulteriorem naturalium notitiam semetipsum per librum naturæ consideratum perducere, & cognoscendo perficere potest.

3. *Definitio* genere & differentiâ *constat.* Genus *sunt notitiæ humanæ â Deo ortæ.* Notitiæ, *quia partim formaliter tales sunt, partim efficienter cognitionem faciunt.* C. 1. t. 3. Humanæ, ut partim *in hominis naturâ esse intelligantur, animâ & intellectu ejus, cujus velut innatæ dispositiones sunt,* t. 26. Partim *homini propriæ esse ostendantur, & â brutalibus, angelicis, & divinis notitijs distinguantur.* In Deo & angelis *etiam notitiæ sunt; sed hæ ad forum, quo de hominis notitiâ agitur, non pertinent, verùm superioris cujusdam ordinis sunt, ut omnia spiritualia humanis superiora sunt.* Vid. Dec. 3. Miscell. d. 2. t. 5. In brutis *notitiæ sensitivæ ex sensu externo & interno sunt, sed hæ quia nihil intellectus & rationis propriè loquendo continent, humanis notitijs inferiores sunt, & ad hunc censum etiam non pertinent.* Notitiæ autem Terminus, quia ad divinas, angelicas, & brutales notitias latitudine sui funditur, *rectè per talem generalitatem generis vel generalioris conceptus locum in definitione sustinere potest. Et quia notitia humana etiam ad diversas species funditur, sensitivam & intellectivam, naturalem & acquisitam, & utraq; verè notitia est, ac sub eâ comprehenditur, jure etiam generis locum in definitione notitiæ naturalis obtinere potest.* Ex efficiente â Deo ortæ dicuntur. *Notitia naturalis â Deo ut primo authore est, non Sathanâ, aut peccato & corruptione, ut sic. Et* partìm *in mentem fixa, ut implantata & congenita,* partìm *ab homine per intuitum libri Naturæ acquisita, Quam acquirere non posset, nisi inditam velut principium aliquod in mente gestaret, ut pluribus*

C. 3.

C. 3. t. 2. 3. *patebit, ubi* de principijs notitiarum naturalium *tradetur.*

4. *Cætera* ad differentiam *pertinent, &* partim *à fundamento earum propinquo*, partim *objecto*, partim *modo & ulteriore processu sumuntur.* Fundamentum naturalium notitiarum propinquum est lumen intellectus congenitum, & facultas critica ac dispositio insita. Lumen istud intellectus humani *est velut radius quidam imaginis divinæ in primo homine existentis & per lapsum in spiritualibus totaliter amissæ, & post eum in homine in ruderibus quibusdam naturalibus & dispositione luminosâ adhuc residuæ, undè veritates rerum & principiorum videre, consequentias formare & dijudicare, & rationis usu varia in naturalibus invenire, constituere, ac dijudicare homo potest. Cæterùm*, qualiter lumen istud se habeat, & per quod formale præcisè in homine definiri debeat, an per modum habitus connati, An actus, an facultatis, an dispositionis, an analogi cujusdam ex omnibus istis, an per speciem impressam, an per doctrinam, *gravis & intricata apud Scholasticos est quæstio, eoq; variantibus sententijs disceptata. Vereq; hic* Meisnerus l. 3. d. Leg: q. 3. & Waltherus d. 3. de notit: nat: t. 3. *quæstionem longè difficilimam decisione vocant, cum quivis in semetipso communes quasdam veri boniq; notiones sentiat*, num autem eas per naturalem impressionem acceperit, an vi facultatis judicatricis in primo rationis usu ultrò apprehenderit, & sic apprehensas retinuerit, *ægrè dignoscere possit. Ex* Aristotelis *hypothesibus nihil nisi cognoscendi facultatem ingenerari. Ex* sacrâ scholâ & Theologicis hypothesibus *legem per naturam habitualiter impressam asserendam videri.*

5. Sex *reperiuntur nobiliores hac de re sententiæ.* Quidam I. *notitiam naturalem & legem naturæ* per modum actus *inesse docent,*

docent, Ac judicium & dictamen esse, quo fugienda aut facienda cognoscantur. Ita de lege naturæ Thomistæ *communiter, præeunte* Thomâ 1. 2. q. 94. a. 1. *Quem sequuntur* Cajetanus, Conradus, & Medina, in illo loc. Sotus l. 1. d. just: & jur: q. 4. a. 1. Valentianus T. 2. Th: schol: d. 7. q. 4. p. 1. Anconius p. 1. tit: 13. c. 1. Azorius l. 6. c. 1. Suaretz l. 2. d. leg. c. 4. n. 14. Richardus & Gabriel in 3. sent. d. 37. q. 1. & alij. *Et ratione* exercitij *vel instigationis & instinctus ad operandum motus ac actus aliquis dici potest. Sentit enim homo, se per legem naturæ vel notitiam practicam incitari ad agendum aut fugiendum.* Sed ratione principij & originis *istius instinctus merus actus esse nequit.* 1. Quia omnis *actus in motu & fluxu consistit, quo durante actus durat, cessante cessat, & desinit. At notitia naturalis constanter in mente hæret duratq; non in esse transeunte, ut motu, consistit.* 2. Quia *motus nec omnibus, nec semper inest, ut, non infantibus, dormientibus, maniacis & mente motis, quibus dictamina aut judicia rectæ rationis propriè dicta tribui non possunt.* At notitia naturalis omnibus hominibus & *omni tempore inest, sive vigilent, sive dormiant, sive rationis compotes sive exsortes sint. E. nequit merus motus sive actus esse.* 3. Quia *ut ratio s. principium ratiocinandi non est ipsa rationatio seu actus & motus ratiocinandi: sic nec notitia naturalis, principium naturalis cognitionis, est ipsa naturalis cognitio s. actus cognoscendi. Principium enim nunquam est suum principiatum, sed fons & origo ejus, eoq; ut prius & posterius, antecedens & consequens, origo & originatum, differunt. Et ratio ac notitia naturalis hactenus conveniunt, quòd utràq; principium alicujus actionis in homine sit. At prius est. E. & posterius.* 4. Quia *lex naturæ debet esse regula boni impressa instigans ad agendum aut fugiendum, ut Scholastici concedunt.*

Exercitatio II.

De formali & causis notitiarum naturalium.

AT nulla regula est ipsa sua instigatio, ad quod fertur, sed principium & fundamentum ejus, unde instigatio fluit. *Sic habitus non est ipsa operatio, sed principium ejus, unde ea exseritur.* 5. Si lex naturæ formaliter est actus. E. erit in prædicamento actionis. *Finitum enim & reale quid est, & ad Prædicam. actionis actus finiti referuntur. Sed nulla lex ad actionem refertur, nec quisquam Logicorum est, qui in ejus serie ullam legem referre animadvertatur. Ergo nec actus formaliter est.* Resp. GUILIELMO SMEETH, Dantisc. Boruss.

6. II. Alii *notitiam naturalem & legem naturæ per modum* habitus connati *vel analogi cujusdam inesse censent.* Ita Velstenias dis. d. leg: nat: q. 3. & Hunnius d. de discrimine hon: & turpi. Meisnerus p. 1. Phil. sob. s. 2. c. 2. q. 4. Et par. 3. s. 2. c. 4. q. 10. Et l. 3. de Legib. q. 3. Waltherus dis. 2. d. Not: Natur: t. 11. Ex Papistis Suaretzius Tr. d. legib: l. 2. c. 5. Ex Reformatis Alstedius l. 16. Encyclop: c. 6. t. 10. Alij *habitum ullum cannasci in universum negant,* D. J Martini l. 1. part: Meta. s. 7. q. 4. Suaretz d. 44. Metaph: s. 13. num: 7. *Et communiter in divisionibus habituum habitus connatos omittunt Metaphysici, ut ex* Scheiblero, Suaretzio, J. Martini, Werembergio, Arniseo, Corn: Martini, Scharfio, ipsoq; Alstedio in Metaphysicis *alijsq; patet. Circa hanc sententiam* vox habitus *distinguenda est.* Vel enim habitus in rigore Philosophico sumitur pro firma & stabili qvalitate potentiæ superjectâ, facile & promptum reddente subjectum ad operandum per illam potentiam, *quomodo habitus*

linguarum in Apostolis, texendi in Bezaleele, & Ahaliab. Exo. 31. ℣. 2. 6. *Philosophiæ in Philosopho, & Medicinæ in Medico est:* Hoc modo habitus nullus ordinariè homini connascitur, *sed Adamo quidem in imagine divinâ concreatus fuit, per lapsum autem totus deperditus fuit, &* rudera saltem qvædam ex isto habitu *supermanserunt, quæ magis dispositionibus, quàm habitibus respondent, ut* t. 9. 11. *pluribus patebit:* Vel habitus vox generaliùs pro qvalicunq; dispositione sumitur, ex qvà si elaborando perficiatur, habitus confieri & exsurgere possit. *Et sic* generaliter *per modum habitus notitiæ naturales inesse dici possunt, quia ista dispositio luminosa in intellectu superest, qua veritatem quandam naturâ duce pervidere, & si eam dextrè investiget, in habitum eam successu ætatis protollere possit.* *Et sic* via ac gradus ad habitum in isto connato lumine homini connascitur, *ipse habitus rigidè dictus non connascitur, sed succedit & comparatur, ut* t. 25. *pluribus patebit.* *Et sic* Waltherus ipse c. I. t. 12. *fatetur,* si Philosophicam ἀκρίβειαν semper seqvi placeat, ultrò se fateri, & veritatem fateri cogere, sub nullum istorum, actum, facultatem, aut habitum, directìm & propriè notitias naturales cadere, qvod prolixè demonstrare unicuiq; postulanti paratus sit. Quamqvam ad ista tria simul qvodammodò reduci possunt. Ad affectum, *quòd ut is appetitum sic hæ rationem ad certa actionum genera determinent.* Ad potentiam, *quia & secundùm has potentes ad aliquid appellemur.* Ad habitus, *quia juxta illos benè vel malè ad certos actus affecti simus.*

7. *Et non posse notitias* pro habitu propriè dicto *censeri, probatur* 1. Quia habitus talis facilitas est ad operandum, citra variarum elaborationum adminiculum & reqvisitum, *ut exemplis habituum propriorũ patet, ut Citharistriæ & saltato-*

riæ, ubi facile saltare & citharisare est, si habitus adsit, & homo bene dispositus sit, & operari velit. Sed in his notitiis variis adminiculis opus est, ut inductione, observatione, ut accedente rationis usu cognitas res aliquas nobis reddamus, sicq; habitum earum potentiam facilitantem in animo comparemus, ut Experientia testatur. 2. Quia habitus Intelligentiæ usu & assuetudine acquiritur, non homini connascitur, *ut* Philosophi *docent, quando talem habitum peculiariter repræsentant, & ipsis assensibus principiorum in particulari acquiri docent. Ut* alibi *docetur. At is habitus notitiarum naturalium & principiorum naturâ notorum est, ut constat. E. tales notitiæ per modum habitus non connascuntur.* 3. Quia vel species rerum, vel integra principia talis habitus connata forent. At neutrum. Non prius, *quia nullæ rerum species homini actu connascuntur. Ut* t. 19. *patebit.* Non posterius, *quia sensu, inductione, observatione, aut naturali terminorum evidentiâ connexiones rerum & veritates usu rationis accedente demùm animadvertimus, ut experientiâ constat.* 4. Quia si talis notitia habitualis connata esset, vel unus ejus in adultiore ætate meminisse posset, *cum habitus intellectualis vel ei analogus esset. Et memoria intellectiva tota sine sensibus sit,* C. 1. t. 10. *At nullus hoc meminit, sed cum merâ ignoratione habituali nos nasci experimur.* 5. Quia si habitus notitiarum istarum est, aut per modum scientiæ, aut sapientiæ, aut intelligentiæ, aut prudentiæ se habebit. *At nihil horum est, quia hæc omnia acquisita sunt, ut patet, nec quisquam intelligens, sapiens, sciens, ex habitu nascitur, sed edolatur.* 6. Quia habitus perfectionem & consummationem dicit. At notitia naturalis post lapsum est languida, obscura, infirma, confusa, ut illi *ipsi concedunt, qui habitum esse pugnant. E. non habitus vocanda, sed dispositio aut similis vox aptius adhibenda,*

benda, quæ inchoationem dicit, & huic lumini connato notitiarum naturalium magis conveniens, ut t. 9. 11. 25. patebit. 7 Quia qui habitus eas faciunt, ſtorgas naturales, tanquam impreſſiones & inſtinctus naturæ pro exemplo adducunt, *qui partes Legis naturæ ſint. Quos & ſub quâdam analogia in bruta cadere affirmant, ut* Meiſnerus c. 1. p. 171. *Atqui in brutis proprij habitus non ſunt, ſed ſolarum intellectualium ſubſtantiarum illi ſunt, ut in* Metaphyſicis *diſputatur. E. nec notitiæ naturales proprij habitus eſſe poſſunt.*

8. *Habent tamen,* qui pro habitu notitiarum pugnant, *varia argumenta, quibus ſe firment. Ea, ut majorem lucem materiæ inferamus, jam adferre & reſolvere oportet.* Dices 1. Apoſtolus Rom: 2. ℣. 14. 15. Gentibus inſcriptam à Deo legem in cor & animam ipſarum dicit, hoc eſt, permanenter impreſſam ab ipſo ſtatu generationis. At *tale permanens & ab ipſo ortu animæ & facultatibus ejus impreſſum non niſi habitus eſſe poteſt.* ℞. Non ſequitur. *Nam & diſpoſitio ad habitum ductura & velut via ad ipſum eſſe poteſt, quæ ab ortu intellectui hominis impreſſa eſſe poteſt, unde accedente rationis uſu in variam cognitionem homo ſe proferre poſſit.* V. th. 25. *Hæc etiam in corde, h. e. animâ, ejusq; potentijs, intellectu nempè, ſcripta, h. e. à Deo ipſo in primo ortu inſcripta & impreſſa dici poteſt.* 2. Apoſtolus hoc inſcriptum tanquam permanens, uniforme, & determinatum adducit. E. magis habitui reſpondet, quàm diſpoſitioni. ℞. Etiam diſpoſitio permanens & uniforme quid eſt, *donec rationis uſu in habitum transformetur. Ita diſpoſitiones quædam ad morbos, calculum, podagram, Colicam, in quibuſdam ſubjectis tenaciſſimæ & permanentes ſunt, ut vix ullâ arte extundi poſſint. Sic* inclinationes ad certa vitia, *ut avaritiam, ſorditiem, impuritatem, profuſionem, in quibuſdam ſubjectis à nativita-*

tivitate insertæ sunt, & ita tenaciter inhærent, ut vix animo evelli possint. Cur non & dispositio cognitionis naturalis permanenter animo infixa esse possit?

9. 3. Apostolus inscriptum istud legem vocat. Sed lex magis habitui, quàm facultati respondet. ℞. Imo lex magis dictamini *& judicio, quod actus est, quam habitui respondet*. t. 5. *Nec tamen actum esse, dissentientes concedunt. Ita etiamsi aliqua analogia inter habitum & legem naturæ intercederet, non statim eam propriè habitum esse, & per eum definiri debere sequeretur.* 4. Paulus generaliter *de omnibus gentilibus loquitur, non doctioribus tantum, & qui inquirere ac ratiocinari possint; secus infantes & rudes exempti essent. E. connatum quid esse oportet.* ℞. Sic est. *Est connatum quid, unde omnes gentes accusantur. Sed distinguendum inter rem & rei modum. Non statim per modum habitus connatum esse necesse est, sed & per modum dispositionis esse potest. Nam & dispositiones homini connascuntur*, t. 8. Et *hæc dispositio luminis naturalis, quia omni homini connata est, omnes gentes ex eâ de lege argui possunt.* 5. Apostolus inscriptionem illam testimonio conscientiæ hominem accusantis confirmat. At conscientia non acquisitum quid, *sed innatum est. Sic & lex naturæ.* ℞. Aberratur *à statu quæstionis. Innatam esse certum est, sed* per modum habitus statim innasci probari debet. *Non quicquid innascitur, statim se per modum habitus habet. Nam & dispositio aut vis esse potest*, t. 8. 6. Nequit lex naturę ipsa facultas Critica esse, nam illi inscripta propriè esse debet *Nihil autem sibi ipsi inscribitur. E. facultatis istius perfectio est. At talis habitus est.* ℞. Perfectio *vel habitus vel dispositio ad eum esse potest. Perfectio consummata habitus est. Inchoata dispositio. Et talis lex naturæ est. Perficit ut lumen, sed debile & inchoatum, quod successu temporis usu rationis*

confirmatius reddi potest, ut in perfectionem consummatam transeat, quæ habitus erit. Sic nascimur temperabiles, non temperantes, quod habitus est. Ad avaritiam & iram proni, non avari & iracundi. Lumen naturæ non ipsa facultas Critica, sed aliqua in ea perfectio luminosa connata est, dispositio pervidendi veritates rerum, & sic in intellectu ejusq; facultate judicandi est.

10. 7. Dispositio saltem gradu differt ab habitu, non specie, ut Metaphysici docent. E. magis habitus lex dicenda, quam dispositio. ℞. Non sequitur. *Habitus magis perfectionis, dispositio magis imperfectionis vox est. At post lapsum connata nobis magis imperfecta, quàm perfecta sunt.* t. 11. *Nec statìm ubi dispositio agnoscitur, statim magis habitus dicendus est.* Sic in morbo *dispositio ad Febrim, Colicam, Calculum, esse potest, non statim febris, colica, calculus dicenda sunt.* In tyrone *dispositio ad linguam Latinam & Citharisationem esse potest, non statim ipse habitus linguæ & Citharistriæ inesse dicendus est. Dispositiones magis hominibus connascuntur, quàm habitus. Hi propriè loquendo nulli connascuntur. Et peccatum originis etsi analogiâ habitui respondeat, rigidè tamen habitus non est, cum formaliter* privativum magis *quid, quàm positivũ sit, quale quid habitus propriè dictus esse solet, ut* alibi *docetur.* Quidam *etiam dispositionem specie differre ab habitu censent, ut* Thomas 1. sec. q. 49. a. 2. Cajetanus in Categor. Arist: Fonseca l. 5. Metaph. c. 14. q. 2. s. 3. Suaretz d. 42. Metaph. s. 6. n. 15. sequentibus. Wegerus l. 2. Logic. c. 17. p. 390. alijq;. 8. Inscriptio legis in cor præcedit notitiam acquisitam, ut causa ejus. *E. connatam non acquisitam esse oportet.* ℞. *Est connata, sed non per modum habitus, verùm dispositionis.* t. 9.

11. 9. In Adamo lex naturæ fuit habitus. E. & in nobis talis

talis erit. Ab eo enim in nos propagatur. *Et in seipsâ ejusdem speciei in eo & nobis est, gradu & perfectione saltem differt, quòd ibi perfecta & distincta, hic imperfecta & obscura sit.* ℞ E. & in nobis habitus est, si tantâ perfectione in nobis est, qvantâ in Adamo fuit. *Quod falsum cum in nobis languida & imperfecta sit, ut* post *patebit.* Hoc autem *perfectum & imperfectum, discrimen habitus & dispositionis importat ut in* Adamo *consummata perfectio, & sic verus habitus fuerit*: *In* nobis *inchoata & sic vera ad habitum demùm dispositio sit. Perfectio autem amissa est, & relicta est inchoatio. Secus & ita inferam: Lex Naturæ in Adamo clarissima, distinctissima, & confirmatissima fuit. E. & in nobis à primo ortu talis esse debet, cum obscura, confusa, languida sit, ut Experientia testatur, & ipsi, qui habitum eam dicunt, fateri coguntur. Fermè* cum perfectiones in hominibus amittuntur, dispositiones remanent. *Sic qui diu non pulsant testudinem, citharam, stylum Latinitatis non exercent, habitum artium amittunt, dispositiones retinent. Sic qui ex memoriâ confirmatâ in vacillantem incidunt, ex habitu in dispositionem veniũt.* Conf. Schenckium l. 1. Observ. 128. seq. 30. Qvale totum fuit, tales & reliqviæ ac portiones residuę Sed totum, Imago divina, in Adamo fuit habitus & perfectio facultatum concreata. *E. & reliquiæ tales, quæ sunt notitiæ naturales.* ℞. 1. Major de toto heterogeneo tota falsa est. *Non quævis pars hominis est homo nec pars domus domus ipsa. Nec de homogenio semper procedit. Non quælibet gutta maris est statim mare, nec quivis radius solis est sol.* 2. Qvale totum, *tales partes, sed quæ* veræ partes in compositione totius adhuc permanentis sunt, *non autem* si totum destructum sit, *Et in rudera quadam post destructionem manentia dissolutum, prout de Imagine divina, & notijs naturalibus jam est. Hic quale totum in esse gene-*

generali, tales reliquiæ ejus permanentes, non autem statim in esse specifico. Sic Imago divina lumen, cognitio, perfectio, ornamentum facultatum, qualitas, fuit. Tale quid & reliquiæ. In homine vivo oculus, nasus, aures, partes hominis sunt, in mortuo partes cadaveris, non hominis, qui destructus est.

12. *Sed* qvia perfectio gradus habet, & consummata demùm verus habitus est, inchoata magis dispositio, ac tali modo in notitia naturali ante & post lapsum se res habet, *ut ibi consumata, clara, plena, & confirmata fuerit. Hic inchoata, obscura, confusa, & languida sit, rectè ibi habitus, hic dispositio connata appellatur. Et sic in* specifico rei formali & appellatione *non sequitur,* qvalis res fuit ante amissionem, talem & post eam remanere talemq; vocari oportere. *Habitus enim & perfectiones plerumq; amittuntur, Dispositiones & imperfectiones remanent, ut antè dictum. Sic ante lapsum sapientia & puritas imago Dei erat. Post lapsum inscitia & fœditas in homine est, & vix umbra quædam sapientiæ, quæ magis dispositioni, quàm habitui similis est; Et hic non semper appellatio eadem retinetur post corruptionem, quæ antea fuit. Sic rudera palatij regij confracta & dispersa in terrâ jacentia non palatium regium, nec structura appellantur, sed rudera ex eo, indigesta & rudis moles: Combustæ domus rudero non domus, sed reliquiæ corruptæ ejus propriè vocãtur. Sic* Homo *in cadaver corruptus, non homo propriè, quod perfectionis est, sed cadaver ejus appellatur, quod corruptionis.* Acetum *non vinum propriè, sed corruptio acetosa ejus, quod antè fuit vinum, vocandum. Homo & cadaver corpora & substantiæ, rudera palatij & palatium corpora, substantiæ, entia, vocantur, quæ appellationes* generales *sunt. Sed* in specialibus *differunt, & ante homo, post corruptionem hominis cadaver, Regia domus consistens palatium, destructa acervus lapidum, rudera, & similiter*

appel-

appellatur. Sic aureum poculum integrum poculum vocatur. In partes confractum non poculum, sed distractæ ejus particulæ & materiæ dicitur. Perfectionis *vocabulum non est tribuendum rei in imperfectionem degeneratæ. Sed habitus perfectionis vox est.* V. t. 7. 9. Imago divina ferè tota lapsu amissa. *Et Scriptura emphaticè amissionem illam verbis cum privativis, tum positivis describit.* Vid: dec: 2. Misc: d. 3. t. 15, 16. *Unde non vox, quæ perfectionem in eâ sonuit, tenuibus ejus ruderibus, & imperfectis scabrisq; reliquis statim attribuenda. Si habitum inchoatum cum* Keckermanno in Logicis p. 1. s.). cap. 9. & Zanakio ad illud caput *introducas, meliùs pro eo dispositionem dicas, cum consummationis, non inchoationis vox habitus sit, & habitus inchöatus nondum propriè habitus sit, sed ubi perfectionem nactus fuerit, demùm talis fieri possit. Neq; magni momenti sunt, quæ in adversum* Zanakius c. l. *regessit, sed ad homonymias vocum tantùm delabuntur, quas fugere proprietate sermonis magis debet* Philosophus, *quàm occupare.*

13. 10. Contraria sunt sub eodem genere proximo, 4. Topic: c. 3. Sed lex naturæ & peccatum originis sunt contraria, quia illa ad bonum, hoc ad malum solicitat. E. sub eodem Genere. At *peccatum originis habitus conatus est. E. & lex naturæ talis.* R.). Non præcise sub proximo genere sunt, sed & sub remoto & quovis generaliori conceptu sunt. *Sic substantia & accidens contraria, & sub generaliore tantùm conceptu Synonymico, Ente, sunt, quod transcendentale quid, non proprium genus ullius rei, ut alibi ostendi.* 2. Contraria strictè dicta ita sunt. *Sed si alterum privativè oppositum sit, secus esse possit. Peccatum originis propriè privativè oppositum sanctitatis, & sic non contrarium est. Privat sanctitatem, & pro ea corruptio ipsa est.* 3. Verè oppositum peccati *non notitia na-*

turalis aut lex naturæ, sed sanctitas est, quæ habitus spiritualis in Adamo fuit, cui opponitur peccatum originis ut impuritas & fœditas Spiritualis, ab Adamo in posteros per generationem translata. Hæc sibi opposita velut habitus essent. Sed notitia naturalis vel lex naturæ non ipsa sanctitas, sed principium ejus cognitivum per modum luminis in intellectu existens est, *unde sanctitas oriri, & rectè acta occupari debent. Et notitia naturalis longè latior lege Naturæ est, & notitiam principiorum etiam theoreticorum comprehendit, ut* C. 5. t. 2. *patebit.* II. Quod synteresis est, id & lex naturæ est. Ad synteresin enim refertur. Sed illa habitus connatus est, à potentia intelligendi distinctus. E. & hæc. R. 1. Si synteresis *pars Intelligentiæ habitus primorum principiorum, est, practica principia repræsentans,* habitus acquisitus, non connatus *est. Intelligentia enim non connascitur, sed assensibus principiorum repetitis comparatur,* t. 7. Synteresis, *tanquam habitus principiorum practicorum, ex lege & lumine naturæ post lapsum in intellectu hominis residuo extrui & colligi debet, ac fundatur in isto lumine, quod veritatem istorum principiorũ pervidet, colligit, judicat, & accipit.* 2. Quod synteresis est, *id* & lex naturæ est, nempè si plena, firmata, & consummata sit, ut habitui par esse possit, non autem si semiplena, languida & inchoata sit, *ut nunc post amissum imaginis divinæ habitum est, ubi magis dispositioni, quàm habitui respondet,* t. 11. Nec quæ *ad aliquid referuntur, statim* directè *idem genus participare necessum est.* Nam omes privationes ad habitum, ut opposita ejus, referuntur, *nec tamen genus ejus, ipsum habitum, participare coguntur, Quasi & ipsæ habitus essent. Ut visus, cæcitas, auditus & surdities.* Sic compositum & compositi principia, *materia & forma, ad idem genus, corpus, referuntur. Nec tamen directè dicere licet, materia & for-*

ma

ma est corpus, sed est corporis, scilicet principium. Sic hic, Lex naturæ est habitus, synteresios nempè, principiũ & fundamentum.

14. 12. Storgæ naturales sunt partes legis naturæ, & non sunt mera facultas, sed instinctus & impressiones naturæ ingeneratæ, habitui æquipollentes. *E. & lex naturæ per modum habitus se habet.* ℞. 1. Ex nostrâ mente *lex naturæ & notitiæ naturales non sunt mera facultas judicatrix, sed* lumen & dispositio aliqua in eâ *ei superjecta, quæ majus aliquid sunt, quàm nuda facultas ut* t. 26. *patebit.* 2. Negatur consequentia. *Nam & dispositiones naturæ tales storgæ in homine esse possunt, non præcisè habitus esse tenentur. Et in brutis tales storgæ sunt, quibus tamen habitus communiter Metaphysici negant,* t. 7. 13. Intellectus practicus ex se & suâ naturâ ad bonum aut malum indifferens est, & determinatur ad hoc aut illud ab alio contradistincto. *Hoc peccatum & legem naturæ esse oportet. E. ut illud habitus, sic & hanc talem esse oportet.* ℞. Negatur consequentia, *Nam & dispositionem hic esse sufficit. Et peccati verum oppositũ non lex naturæ, sed sanctitas concreata primo homini fuit, quæ verus habitus fuit, sed per lapsum totus deperditus est,* t. 12. *Nec peccatum originis strictè dictus habitus est, Etsi analogiam ad eum obtineat,* t. 10. 14. Habitus primorum principiorum vulgò naturalis, à natura, & naturaliter notus dicitur. *E. naturæ connatũ esse oportet.* ℞. Non quòd connatus, *sed quòd per naturam ipsam sine præceptore & peculiari curâ vel alio habitu veritas principiorum ejus ob evidentiam eorum ab intellectu agnoscatur, quamprimùm species intelligibiles formare, & virtutem criticam naturaliter sibi inditam homo exserere incipit. Sic, sensus communis solâ virtute judicatrice inditâ inter colorem & odorem distinguere novit, non species coloris & odoris connatas habere necessum est.* Simile *de intellectu habendum est, A natu-*

râ est habitus iste, non secundùm essentiam & formaliter, sed in semine & radicaliter, *quia lumen & dispositio homini connata est, quâ accedente ætate veritas talium principiorum animadverti, agnosci, & teneri sine omni alio discursu aut habitu possit.*

15. Si non habitus connatus est, honestum & turpe non naturâ, sed lege & consuetudine tantùm discernetur, quod absurdū. R. Negatur consequentia. *Si non habitus, nec dispositio ad eum connata, tum id sequitur. Sed dispositionem connatam dicere licet*, t. 26. Deinde *si non habitus, nec virtus critica connata malum â bono, & verum â falso discernere valens est, tùm honestum â turpi tantùm lege discernetur. Sed ista virtus etiam connata*, t. 35.

35. III. Alij notitias naturales per modum facultatis criticæ & judicatricis inesse putant, quâ Intellectus ad usum rationis deveniens per objecta externa motus propriâ vi eas velut eliciat & sine præceptore formet, *Quamprimùm species rerum ab objectis sensibilibus abstractæ per phantasiam ad intellectum dijudicandæ deferantur. Hoc modo quædam ut vera & bona statim apprehendi, acsi animo ipsi naturaliter implantata essent, cum δύναμις apprehendendi & colligendi propriè insit. Ita* D. J. Martini l. 1. part. Meta. f. 7. q 4. Timplerus l 3. Metaph. c. 1. q. 9. Et l. 4. c. 2. q. 2. Et l. 3 Empsychol. c. 3. q. 8. Et exerc. Phil. 1. q. 9. Beurhusius in proem. dial. Philippo Ram. Et Pædagogi Logic. Et l. 2. Log. Ram. c. 3. Keckerman. d. 23. Curs. Phil: q. 13. aliją;. Si facultatis nomine promptitudo aliqua *& idoneitas in facultate intelligatur, qua disponamur velut lumine aliquo facultati indito ad primorum principiorum veritatem pervidendam, notitia naturalis* facultas *dici possit. Nam & secundùm eam potentes ac prompti ad aliquid operandum dici possumus. Si mera intel-*

ligendi

ligendi ac dijudicandi potestas, insufficiens est sententia. I. Imago Dei in primo homine non facultas aliqua animæ, sed habitus facultati superjectus fuit. *E. & reliquiæ ejus, ut notitiæ naturales, non meræ facultates esse possunt, sed ultrà aliquid esse coguntur. Secus ad reliquias imaginis pertinere non possunt. Facultas enim intelligendi ab animâ fluens tota post lapsum mansit, cum imago ferè tota perierit, & rudera ex eâ tantùm supermanserint. Ultrà facultatem aliquid ergò eas esse oportet. Quod vel habitus, vel analogon quid ei erit, ut dispositio.* V. t. II. 26.

16. 2. Quia nulla facultas ut talis, hominem obligare, aut si ei non obediatur, eum accusare, convincere, & damnare potest. *Sed notitia naturalis practica id facit. Itaq; gentes sine lege scriptâ peccantes etiam sine eâ per legem naturæ damnabuntur, Quòd eam scienter volenterq; transgressæ sint,* Rom. 2. ℣. 12. seq. *E. non mera facultas esse potest, sed aliquid supra & ultra eam.* Dices: A propriâ collectione & dijudicatione id est in adultis, quòd à conscientiâ accusantur & damnantur, *non naturali impressione.* ℞. Sed illa collectio in lege in cordibus nostris scriptâ fundatur, *unde cogitata se accusant aut excusant,* Rom. 2. v. 15. *Ista lex in cordibus ab ipsâ nativitate scripta aut habitus, aut facultas, aut dispositio, aut simile quid erit. Nec quidquam verè obligat ad parendum aut pœnam, nisi* lex & ei respondens quid. *Non nostrum judicium, dijudicatio, aut discursus id præstare potest, & quidem cum interminatione æterni supplicij; sed superius aliquod principium, Deus, qui altissimè mentibus nostris talem notitiam impressit. Obligatio enim omnis cum minis & metu conjuncta, non à nobis, sed superiore principio, quod timemus, oritur. Nec quisquam seipsum ex proprio ad pœnam intolerabilem obligare potest. Experimur autem in nobis, Quòd cum parentibus aut superioribus inobedientes fuimus,*

mus, metum alicujus judicij incumbentis sentiamus, & in injustissimis hominibus angores interdùm conscientiæ observamus, C. I. t 7. *Quod notitiæ alicujus connatæ est indicium.* 3. Quia omnis facultas rationalis contrariorum est, h. e. ex se indifferens est, nec magis ad unum, quàm alterum propendet. *Sed notitia naturalis est determinata ad bonum & rectum. Non ergò mera facultas esse potest. Nec intellectus seipsum præcisè determinare potest: Sed quod determinatur, ab alio determinatur.* Sic peccatum Originis ad *malum determinat intellectum & voluntatem. Aliud ergò ab ipso intellectu & voluntate est.* Lex naturæ *ad bonum determinat. Quare & eam ab utraq; distinctam esse oportet. Intellectus bonum & malum, turpe & honestum, cognoscit. Sed distincta mentis in unum propensio, dum vel ad malum rapitur, vel ad bonum incitatur, ab ipsâ mente esse nequit, secus bonum intelligere ad bonum ferri esset. Ab alio ergò principio id est, Quod lex naturæ & membrorum, ut* Rom: 7. v. 28. *vocatur, est.* 4. Quia peccatum Originis, principium malorum in homine, ab ipso intellectu verè distinctum est, *ut omnes concedunt. E, & quod ex parte ei oppositum est, ab eo distinctum esse oportet. At hoc notitia naturalis est. Ergò.*

17. Dices I. Intellectus aptitudine intelligendi est omnia, sed actu nihil inscriptum habet. *Unde tabulæ rasæ vel nudæ comparatur, in quâ nihil actu scriptum sit, omnia autem scribi possint.* Aristot. 3. de anim. c. 4. t. 14. *E. naturalis aliqua notitia, per modum actus in intellectu dari non potest.* ℞. Hoc de eâ intelligendi ratione dicitur, quæ per species fit. *Quomodo nulla species intellectui hominis naturaliter connata est, ut quidam volunt,* t. 20. *Et sic nulla cognitio per species â naturâ impressas homini naturalis est: Non autem, quòd nec dispositio aliqua intelligendi naturaliter homini innata sit, unde naturâ duce*

quæ-

quædam intelligere, & successu temporis per usum rationis ad ulteriorem cognitionem se permovere possit. Sic enim ipse Aristoteles *virtutem aliquam naturalem*, 6. Nicom: cap. 13. *agnoscit, quam virtuti propriè dictæ, quæ habitus acquisitus sit, contradistinguit. storgas naturales* 8. Nicom: cap: 1. *quæ ipsæ facultates intelligendi non sunt, sed aliquid illis superjectum*, t. 13. *Et jus naturale*, 5. Nicom: cap: 10. Et 4. Eudem. c. 5. 2. Experientia testatur, hominem cum merâ rerum omnium ignorantiâ nasci, totamq; humanam cognitionem à sensibus & inductione inchoàre, *ut species à sensibus per phantasiam primò promamus, & deinde colligamus, ac dijudicemus, sicq; in cognitionem nos deducamus. E. actu connata aliqua notitia esse non potest*, ℞. Homo nascitur cum ignorantiâ, *quòd nullam speciem actu connatam in intellectu habeat, aut nullius scientiæ habitum ab ortu secum ferat*, t. 7. 8. & seq. *Et sic tota cognitio, quæ specierum speculatione fit, à sensibus & inductione fit.* Sed hinc non sequitur, nullam dispositionem intelligendi à naturâ homini inesse. *Sic Deum naturâ novit, etsi speciem ejus à sensibus nunquam habeat, cum in sensus ille non incurrat.* Similiter *variæ rerum connexiones per collectionem intelliguntur ac dijudicantur, quæ in sensus non præcisè incurrunt, ut, Imp. est aliquid esse & simul non esse. Neq; absolutè procedat* Canon, *nil in intellectu esse, quod non in sensu fuerit, cum in sensu aliquid per se, vel per sua opposita aut effecta esse possit.* C. 1. t. 17.

18. III. Quod sine ope Phantasmatum est, id etiam sine illis operatur, Sed species intelligibiles sine ope Phantasmatū in intellectu non sunt, *E. nec sine illis operari possunt, consequenter nec produci. Et sic tota nostra intellectio à phantasmatibus est, quæ à sensibus desumuntur.* ℞. Totum hoc argumentum de intellectione eâ, quæ fit per species aliunde desum-

ſumptas & intellectui illatas, conceditur. *Sed inde nullam intellectionem per diſpoſitionē menti impreſſam eſſe, non ſequitur. Ita qui cæcus & ſurdus natus ſit, tamen ubi ad uſum rationis devenerit, vera eſſe principia deprehendet, Totum eſſe majus ſua parte, bis 2. eſſe 4. Impoſſibile aliquid eſſe & ſimul non eſſe, etſi ſpecies â ſenſibus hauſtas nunquam habuerit.* IV. Habitus multis actionibus acquiritur; ſed lex naturę non. E. ℞. Neq; eſt habitus, *ſed magis diſpoſitio*, t. 7. ſeq: *Et definitio iſta habitus tantùm* acquiſiti *eſt. Secus infuſus non actionibus noſtris acquiritur, ut in Apoſtolis & Bezaleele patet*, t. 6. *Qui tamen verè habitus.*

19. V. Si principia quædam actu connata eſſent, mens illis ſtatim uti poſſet, cum in propriâ ſua actione *ab organis corporis non dependeat*, t. 7. *At in infantibus hoc fieri non videmus.* ℞. Si per modum habitus aut actus, aut per ſpecies ab ortu impreſſas, connata eſſent, *tùm illis in ipſâ infantiâ uti, aut ea nos habuiſſe meminiſſe poſſemus, Quod non experimur. Jam per modum diſpoſitionis ea tantùm connata habemus, quam diſpoſitionem ſtatim in actum exire nihil neceſſe eſt.* Sic *deliri & dormientes variorum notitias impreſſas habent, neq; tamen iſto tempore illis utuntur, quia ſenſus vel turbati vel ligati ſunt.* Sic *peccatum originis in primâ infantiâ ob defectum uſus rationis & indiſtinctas ſenſuum operationes ſe non exſerit, quod tamen ab ortu reverâ homini connatum eſt.* Pſal. 51. v. 7. VI. Si principia innata eſſent, & Ariſtoteli innata fuiſſent, Et tùm hoc ſciviſſet, non impugnare potuiſſet. ℞. Etiam ſcivit, *multa hominem â naturâ ſine præceptore ſcire*, t. 17. *Sed* an ex habitu cōnato, an diſpoſitione, an facultate id ſciat, *diſtinctè ſcire non potuit, quia de reliquiis imaginis divinæ in homine poſt lapſum diſtinctè nihil ſcivit, Eoq; notitias iſtas potiùs â facultate intelligen-*

di

di elicitas esse, quàm menti â naturâ impressas, sentire voluit. Sic *Philosophi pugnam rationis & appetitus in homine sciverunt & experti sunt.* Sed *ex peccato congenito eam esse nesciverunt, quia ipsum peccatum originis ignorârunt, & propriæ appetitus naturæ id adscripserunt.*

20. IV. Alij notitias naturales per species impressas & connatas in homine esse docent, *Prout infanti species conservationis suæ per os impressa sit, Et brutis species quasdam impressas censent, ut pullo mylvij, quâ eum metuat. Ita* Scaliger ex. 128. Et 307. s. 22. Et l. 3. Poët. c. 1. 12. 20. Alstedius c. 7. Archelogiæ, t. 6. Et par. 1. Metaph. c. 14. t. 2. Et par. 1. Pneumatic. c. 1. t. 5. Et p. 6. Phys. c. 7. t. 3. Goclenius in Adversar. ad ex. 307. s. 22. Sagittarius ex. Phys. 24. alijq;. *Falsum & hoc est.* 1. Si species intellectuales homini connatæ essent, *posset homo per memoriam intellectivam earum meminisse, quandoquidem inorganica ea est. At hoc nemo mortalium unquam experitur,* t. 7. Et c. 1. t. 10. 2. Quæ species in intellectu actu sunt, illis etiam Intellectus uti potest. *In propriâ enim actione â nullo sensu vel corpore dependet. Sed his speciebus impressis non potest uti, ut in infantibus videmus. Et ad minimum recordatio earum in provectiore ætate fieri posset, cum memoria intelligens inorganica sit.* III. Ut sensus ad sentiendũ, sic intellectus ad intelligendum se habet. *Sed sensus species sensibiles nullas connatas habet, omnes ab objectis externis accipit. E. & intellectus nullas facto connatas habet. Sic sensus communis non propterea species sensibiles oblatas distinguit, quòd species â nativitate impressas habeat: sed quòd vi dijudicandi polleat, & dispositio aliqua naturâ ipsi connata sit.* Simile *quid de intellectu judicandum.*

21. Dices 1. Si infans non habet connatam speciem suæ

conservationis, qui fit, quòd vix editus labra moveat & ſugere velit, non pedes, niſi quia os nutriendi organon eſſe novit, & voluptatem tantùm ab inſtinctu naturæ habeat, *non voluntatem cum electione, qualis in adulto eſt*. ℞. Motio iſta ab appetitu naturali *à fame excitato eſt, non impreſſâ ſpecie. Nutrimento abſumpto venæ à vicinis partibus trahuntur, eæq; exhauſtæ trahunt hepar, hoc meſaraicas, hæ inteſtina & ventriculum ſugunt, qui corrugatus venas nervosq; ad cerebrum tendentes pulſat, unde dolor & imaginatio excitata de cibis quærendis. In infante autem* locomotiva imperfecta ad os movendum *decurrit, ut immediato alimenti accipiendi membro. Sic planta radice ſuccum attrahit, non ramis aliiſve partibus.* 2. Idem infans uno pomo habito & alterum appetit, *& ſic pluris ac paucioris notitiam habet, & totum majus parte ſua eſſe novit.* ℞. Non ideò iſta appetit, quòd actu talium notitiam habeat: *Sed quòd duo & plura magis cognitionem ſenſitivam perficiant, ſicq; appetitum ejus magis excitent.* Quò *enim cognitio magis movetur, eò appetitus magis incitatur.* Et quò *quid ut majus bonum objicitur, ſic ut majus appetibile ſui gignit deſiderium. Omne enim bonum naturâ ſui appetibile, ut in* Metaphyſicis *docetur.*

22. 3. Non debet homo in cognitione naturali inferior eſſe bruto. Sed brutis interdum ſpecies connatæ inſunt, per quas agnoſcant & fugiant hoſtes ſuos, ut pullus milviū, *ovis lupum, ſerpens hominem, & ſimilia. E. & homini ea concedendæ.* ℞. Minor falſa eſt. *Talis fuga à naturali inſtinctu animalibus conceſſo eſt, qui vel ad appetendum vel fugiendum objectum concitat, nullâ ſpecie connatâ. Percepto enim ſenſibili convenientia vel inconvenientia naturaliter conſequitur, unde appetitus vel ut gratum recipit, vel ut ingratum reſpuit. Et tales antipathiæ rerum vel ſympathiæ propriè ab connatâ ſubjectorum*

idio-

idiosyncrasiâ sunt, quæ occultis qualitatibus & totâ substantiæ *ratione nititur, & illis etiam inest*, quæ nullo sensu aut cognitione *prædita sunt, ut* mineralibus, metallis, plantis, similibusq; *rebus, quæ* vel *amicis rebus delectantur*, vel *inimicas fugiunt, ut nullis speciebus connatis in brutis vel homine hic opus sit. Sic milvij conspectus pullo dolorem adfert, quia naturalis antipathia illi connata est, Equo aut cani nullum, quia ei non connata est.* 4. Quæ apud omnes homines eadem sunt, ijsdem speciebus niti necessum est. *Unde enim aliàs homines eodem modo aliquid conciperent? Sed notitiæ naturales apud omnes sunt eædem, ut neminem lædere, honestè vivere, Deum esse, totum suâ parte majus esse. Ergò.* ℞ Quæ apud omnes eadem, easdem species habent, sed vel impressas, vel acquisitas. *Etiam quæ acquisitis speciebus, sensu, inductione, nituntur, apud omnes eadem esse possunt. Ut Ignem urere, aquam liquefacere, terram gravem esse, hominem sensu præditum esse, &c. Et homines eodem modo aliquid concipere possunt, quando* eadem objecta *habent, à quibus species & conceptus suos abstrahunt, eadem vi intelligendi ac dijudicandi præditi sunt, & modo acquirendi conveniunt, & dispositionem aliquam ad tales notitias intellectui connatam habent, Quod nos in notitijs naturalibus fatemur, t. 26. Etiamsi species ipsæ rerum & notitiarum connatæ non sint.*

23. 5. In quovis rerum genere ad ultimum tandem est deveniendum, in quo sistatur, secus progressus in infinitum dabitur. E. & in principijs cognoscendi. E. & quędam ita manifesta esse oportet, ut ampliùs demõstrari non opus habeant, *sed quasi species eorum connatas habeamus, acceptentur. Qualia sunt Juris ista principia, Honestè vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere. In quibus Jurisprudentia velut in ultimis acquiescit.* ℞. Ut manifestum aliquid sit, & ultimò in eo ac-

quiescatur, satis est, si in intellectu lumen connatum sit, quo clarè veritas ejus *penetretur, ut in dubium vocari nō possit. Hoc in nobis est, t. 4. Et per illud ista principia manifestissima esse agnoscimus, eodemq́ modo ab omnibus ea abstrahuntur & dijudicantur, t. 21. Nullis hic speciebus connatis opus est. Sic quæ à sensibus habemus, apertissima sunt, ut ignem urere, solem lucere, nivem albam esse, nec connatas menti eorum species esse necessum est.* 6. Si notitiæ naturales non essent, errores majorum & legum positivarum, ubi illæ à lumine naturali abeunt, deprehendi, vitari & emendari non possent. *Quod tamen fieri videmus.* ℞. Si nullo modo notitię istæ essent, ne *quidem* in dispositione & facultate connatâ, *tùm id fieri non posset. Sed dispositio talis per modum luminis in intellectu est,* t.) 2. 26. *Unde tale judicium circa ista institui potest.*

24. 7. In angelis malis species notitiarum concreatæ etiam post lapsum remanent, nam à sensibus nihil cognoscere possunt, cum illis careant. *Cur non & in hominum intellectu quædam species connatæ remanserint?* ℞. Non sequitur. *In angelis species illas supermanere oportuit, quia meræ intelligentiæ sunt, quæ per actum reflexum cognoscere non possunt, cum sensibus destitutæ sint. In homine illis non opus, cum per sensus varia ille cognoscere possit, & ad quædam intelligenda dispositionem connatam habeat. Multa etiam* angeli lapsi per experientiam *sciunt; quà immediatè à Deo creati, cum eo versati, in palatio ejus collocati, à Deo prolapsi, & postea puniti sunt, & hæc ita esse sciunt. At de homine post lapsum omnia ista secus sunt, qui non* experientiâ propriâ *sed peculiari Dei revelatione ista novit.* 8. Non poterit Deus artium & virtutum effector ac conservator satis plenè dici, si non quasdam notitias menti humanæ actu impressit. ℞. Si dispositionem ac virtutem intelligendi *non*

actu impressit, non poterit ita dici. Has verò impressit, t. 12. 15. Est Deus causa omnis intellectus, facultatis, promptitudinis, objectorum, appetitus, qui facit, ut videre possimus bonum, à malo distinguere, eligere, malum reprobare, tali & tali modo agere, perseverare in bono, & ista omnia quotidiè fovet & conservat, & sic sufficiens causa bonorum est, etsi per impressas species talia homini connasci non faciat. 9. Axiomata illa, Totum est majus suâ parte, Impossibile est aliquid esse & simul non esse, *apud* Philosophos *naturalia dicuntur. E. in naturam fixa esse oportet. Et sic habitu vel speciebus connata esse oportet.* ℞. Naturale tùm opponitur specialiter *revelato, & sic omninò sunt naturalia,* *h. e.* ex ipso naturæ lumine *indagantur & vera agnoscuntur, non speciali gratiæ revelatione aut singulari præceptore & manuductore ad ea percipienda opus est, sed etiam minimè nobis cogitantibus ut vera apprehenduntur, ut non constet, quando & quomodo notitia eorum se nobis infuderit, & sic proximè ad ea, quæ naturalia dicuntur, accedunt. Ad hæc nec habitu, nec speciebus connatis opus est,* sed lumine intellectus & dispositione, *unde sine præceptore notitiam talium veritatum pervidere possimus.* Conf. t. 14.

15. V. Alij notitias istas per modum doctrinæ menti *inesse putant, & legem naturæ doctrinam definiunt.* Ut Martinius in pietate Christiana l. 1. c. 2. *Etiam alienè.* 1. Vel doctrinæ vox *absolutè sumitur pro quavis notitia,* vel *relatè pro aliquâ, quæ ab aliquo docetur, & ab alio discitur.* Si prius, *perinde est dicere, notitias naturales inesse per modum doctrinæ, ac dicere, inesse per modum notitiæ. Quod inaccuratum & tautologicum est.* De ipsa enim notitiâ quæritur, quomodo post lapsum insit? *Non ergò de eadem respondendum, sed de alio quodam. Nec enim aliquid inest per modum sui ipsius, sed alterius* cujus-

cujusdam. Si posterius, id quod absolutum est, inesse per modum respectivi etiam inaccuratè dicitur. Doceri & disci relata sunt. Sed notitiæ naturales etiam sunt notitiæ insitæ, sive doceantur, sive discantur, sive minùs, manebunt in seipsis notitiæ, & doceri disciq; accidentalia ad ipsas sunt. Imò lex naturę non docta aut scripta, sed nata est, quam non didicimus, accepimus, legimus, sed ex naturâ ipsa arripuimus, *hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut* Cicero in Orat. pr. Milone *loquitur.* 2. Lex naturæ, *species notitiæ naturalis, ex proximo genere* lex *est, quæ lex species sub se habet, legem naturæ, gratiæ, politiæ. Per eam ergò melius, quàm per doctrinam definitur, quæ remotior, & certo sensu accidentalis est.*

26. VI. Alij deniq; per modum dispositionis inesse putant, quà ex amisso imaginis divinæ habitu rudera notitiarum superſint, quę dispositioni post habitum residuæ respondere possint, & media sint, quibus ad variam naturalium notitiam se homo promovere queat. *Hæc sententia,* etsi à nullo, quod sciam, apertè statuta aut defensa fuerit, *reliquis tamen omnibus commodior & probabilior videtur. Patetq;* 1. Quia nihil cœterorum, *actus, habitus, potentia, species congenita, aut doctrina, satis accuratè hic assignari potest, ut visum. E.* dispositionis vox *maximè apta erit.* 2. Quia dispositio *magis imperfectionem & languorem notitiarum istarum post lapsum innuit, quam in nobis inprimis in notitijs practicis experimur, cum vox habitus perfectionem dicat, quæ amissa est, & pro eâ imperfectio relicta,* t. 10 11. *Gradum etiam istum ad habitum per lapsum amissum reparandum in homine superesse dicit, quem nec facultatis, nec speciei, nec doctrinæ vox satis propinquè aut appositè exprimit.* 3. Quia plerumq; post amissos habitus dispositiones in homine remanere solent, *ut post memoriam firmam labilis,*

post

post judicium consummatum, si sonticus morbus infestet, vacillans, expulso habitu febrili dispositio ad febrim manet, perdito per socordiam & exercitiorum intermissionem habitu citharisandi, saltandi, pugilandi, dispositio aliqua ad ea superesse solet, post amissum linguarum habitum dispositio imperfecta manet, post scientias amissas reliquiæ & rudera remanere solent, & sic consequenter. V. t. 9. II. *Simile in amisso Imaginis divinæ habitu contigisse probabile est.* 4. Quia si cœcus & surdus ab utero quis nascatur, accedente ætate veritatem primorum principiorum percipere poterit, *tanquam naturali hominis judicio præditus. At nec per species sensuum beneficio à rebus abstractas id scire poterit, cum sensibus disciplinæ, visu & auditu, quibus species abstrahimus, destitutus sit, nec per species aut habitum connatum, quæ nulla sunt,* t. 7. 19. *Aut nudam facultatem, quæ insufficiens,* t. 15. 16. *E. maximè per dispositionem aliquam Intellectui connatam, & ex primo Adami habitu residuam. E. notitiæ naturales maximè per modum dispositionis in intellectu menti sunt connatæ.* 5. Quia illi ipsi, qui pro habitibus connatis pugnant, habitus intellectuales nobis innatos quantum ad inchoationem, non perfectionem *ajunt. Sic enim magno labore & difficultate comparari, ut* Alstedius hexil: C. 1. t. 3. *Et legem naturæ valdè languidam in homine esse dicunt, ut* Meisnerus, V. t. 7. *At hoc ipsum est quà dispositionem innasci, quæ est habitus inchoatio, cujus habitus ipse est consummatio,* t. 7. II.

27. Dices I. Dispositio non est firmè in subjecto radicata, sed facilè ex eo amittitur. Sed notitia naturalis firmissimè in homine radicatur, *ut nulla vi ab eo extrudi possit, quod motus conscientiæ docent, etsi ad tempus dissimulari & suffocari possit.* ℞. Dispositio acquisita non firmè est radicata, benè connata, qualis nostra in notitia naturali. *Sic quædam dispo-*

dispositiones morbosæ à parentibus in sobolem transfusæ, & sic hæreditariæ, ita tenaciter inhærent, ut vix ullâ arte è subjectis evelli possint. Similiter dispositiones ad vitia quædam ita innatæ sunt, ut vix contrariâ assuetudine subjectis eximi possint. V. t. 8. 2. Si notitia naturalis per modum dispositionis inest, incerta & vacillans erit. *At est notitia immutabilis, & æterna Dei voluntas.* ℞. Negatur consequentia Antecedentis. Aliud incertum, aliud semiplenum esse est. *Non ideò incertum, vacillans, aut vagum quid esse cogitur, quòd dispositio sit, etsi iste perfectionis gradus, qui in habitu est, ei non insit. Nec quod inchoatum & semiplenum, incertum & vagum est.* Sic qui dispositiones *ad podagram, calculum, potationes, furacitatem in se habet, certissimè & immotè eas habet, etsi ea plenitudo, quæ habituum in talibus est, ei non insit.* Qui dispositionem ad citharisandum & saltandum *obtinet, certus ejus, & quomodo manus ac pedes artificiosè componendi, immotus esse potest, Etsi habitus perfectionem nondum obtineat. Qui dispositionem congruè scribendi habet, certus de congruâ scriptione esse potest, etsi ad perfectionem scribendi habitualem multa ipsi deesse possint. Sic bis 2, quatuor esse certissimum & immutabile est, etsi ex habitu longè plura adhuc de istis numeris sciri possint.* Dispositio in suo genere certissima & satis vera ac justa esse potest, *etsi in habitu longè plura, accuratiora, & distinctiora esse possint.*

28. 3. Notitia naturalis reddit hominem coram Deo inexcusabilem, Rom: 1. ℣. 20. *E. longè majus quid, quàm dispositio, esse debet, quæ id præstare non potest.* ℞. Dispositio aliqua notitiæ, cui in adultis per usum rationis succedere potest & debet habitus, *& si non succedat*, vitio, ignaviâ, ac contemptu ipsius hominis id fiat, *omninò hominem coram DEO inexcusabilem reddit.*

De Causis & principiis notitiarum naturalium.

THESIS XXVIII.

POtuisset enim homo ad ulteriorem inqvisitionem & deprehensionem DEI *devenire, & sic quis Deus sit, ac qualiter se coli præscripserit, invenisset. Ista autem omnia neglexit, sicq; coram Deo excusationem non habet. Et de tali notitia ex intuitu Creaturarum haustâ loquitur* Apostolus c. 1. *Ex quâ quòd non ulterior inquisitio & inventio Dei promanârit, Culpa hominis est, & coram Deo hominem inexcusabilem ob crassam & affectatam ignorantiam, malitiam, oscitantiam, contemptum & securitatem reddit, conscientiâ ipsâ hominis attestante, quod adultus ex creaturarum inspectione, notitiæ naturalis observatione, & collectione, & elaboratione, ad specialem Dei cognitionem devenire potuisset, nisi per crassam ejus ignorantiam obstitisset. Hoc autem est talentum divinitus concessum suffodere,* Matth. 25. v. 24. seq. *Quod inexcusabilem reddit, & judicium Dei attrahit.* Conf. C. 3. t. 13. Sic *qui semivirtutem aliquam & dispositionem ad virtutem in se habet, eamq; non excolit & perficit in habitum Virtutis, sed voluntariâ malitiâ contemnit & suffocat, coram Deo inexcusabilis est. Quamvis reverâ talis semivirtus dispositio, non autem propriè loquendo habitus sit.* V. dec. 3. Misc: d. 9. t. 7. 13.

Respond. Elia Parschitio, Solnensi Vngaro.

29. Ita fundamentum notitiæ naturalis visum, ad *quem modum in homine jam post lapsum se habeat, dispositionis nempe Criticæ ingenitæ:* Reliqva definitionis Notitiarum naturalium verba ab objectis & ulteriore processu sunt sumpta. Ex objectis dicuntur circa Veritatem theoreticarum & practicarum rerum versari, Objectum *Notitiæ natura-*

naturalis est veritas rerum naturalium, quæ quia multiplices, theoreticæ, practicæ, Organicæ, etiam notitiæ naturales variæ erunt. De illis C. 3. t.8. & C. 5. t. 2. pluribus. Ex ulteriore processu dicitur, qvod per eas homo veritatem istam videre, agnoscere, & rationis usu accedente in ulteriorem naturalium notitiam se per librum naturæ consideratum perducere, & sic ultrà perficere possit. *Vlterior processus est modus aliquis in notitiis naturalibus in homine, quibus homo in illis eruendo ac observando versari potest,* ut partim *veritates istas ex connato intellectus lumine in semetipso notare,* partim *ex inspectione libri naturæ, & quæ in eo continentur, ac observatione, inductione, collectione, eruere & indagare, & sic semetipsum in cognitione naturalium perfectiorem reddere queat. Eum enim in finem etiam notitiæ naturales à Deo concessæ, ut ex illis homo in ulteriorem Dei & Naturæ cognitionem se promoveat. Quod ni faciat, & semina notitiarum insita non excitet, sed suffocet, Deum vehementer offendit, sibiipsi gravem injuriam infert, culturæ suiipsius, quam ex Naturâ habere potest, obstat, & talentum divinitùs concessum, quod in lucrum Domino, qui concesßit, erogandum esset, turpißimè abscondit,* t. 28. *sicq; judicium Domini reposcentis illud incurrit, & semetipsum Deo inexcusabilem reddit,* C. I. *Vt pluribus* c. 4. t.12. *patebit.*

CAPUT III.

De Causis & principiis Notitiarum naturalium.

VIsa est definitio & formale Notitiarum Naturalium, *in quo consistat:* Videndæ sunt Causæ & principia earum. Quæ vel externæ erunt, vel internæ. Externæ, quæ essentiam earum constitutam non ingrediuntur, ut

in eâ

in eâ maneant. Hæ Efficiens & finis sunt. Efficiens vel prima vel secunda est. Prima *Deus ipse est, qui* partim *primo homini in imagine DEI eas concreavit,* Partim *post lapsum in reliquiis quibusdam istius imaginis eas servavit, & per animam â parentibus in sobolem propagatam de parentibus in filios propagari facit. Primo homini tales notitias concreatas fuisse patet.* I. Quia homo omnibus animalibus nomina ex naturis ipsorum intimis deprompta *eaq; exprimentia imposuit, Ut Hebrææ appellationes brutorum docent.* Gen. 2. v. 19. *Priùs cognovit Adam animalia, quàm nominavit, ac cum decipi non potuerit, eatenus nomina fabricavit, quatenus rei naturam, proprietates & usus exprimeret. Unde & DEUS ea consensu suo rata habuit,* Gen. c. l. *Ita enim antiquorum nominum veritas habet, ut & leges Romanæ testantur, ut ipsa rebus consona ac apertè earum significativa sint. Unde & argumenta â nominibus apud* Theologos & ICtos *deducuntur, ac magni æstimantur. Sic Nabalis nomen stultum notat,* 1. Sam. 25. v. 25. *A Nomine Iesu excellentiam Christi Paulus deducit,* Phil: 2. v. 9. 10. *Nomine filij eminentiam ejusdem præ angelis Author ad Hebræos* C. 1. v. 4. 5. *Sic Adami nomen terrenum,* Gen. 3. v. 19. *Heuæ vitalem notat,* v. 20. *Quæ rebus aptissimè respondent. Sic* Cain *q. possessorem notat, quia putabat Eva possidere se virum promissum.* Gen: 4. v. 1. Abel *vanitatem,* Seth *positionem notat ex rerum convenientiis, Unde nomina ista sumpta. Unde & Gentiles vehementer sapiẽtiam* primi Onomathetæ *admirantur, qui nomina rebus imposuit. At hæc Nominum impositio notitiam Naturarum in animalibus præsupposuit. Hanc habuit* non acqvisitam, *nam tàm exiguo temporis spatio, quo ante lapsum ille vixit, acquirere non potuit. E concreatam, Et sic insignis etiam Naturalium Notitia homini integro concreata fuit.*

 II. Quia

II. Quia homo post lapsum *reliquias aliquas notitiarum connatas habet*, Vt C. *1.* t. 6. 7. *patuit. E. & ante lapsum notitias quasdam concreatas habuit. Perfectior enim ejus status tùm fuit, quàm post lapsum esse cepit.* III. Quia ad imaginem & *similitudinem Dei creatus fuit*, Gen. *1.* v. 26 seq. C. 5. v. 1. *Ad quam etiam sapientia spiritualium & naturalium pertinuit, Quia* ἐπίγνωσις *seu agnitio in genere illi tribuitur*, Colos. 3. v. *2. Vnde nulla species exclusa esse debet.* IV. Quia Evam *ex se dormiente formatam statim os de ossibus suis, & carnem de carne suâ esse agnovit*, Vtcunq; *nihil, quid gestum aut non gestum esset, sciret; Conjugij etiam conjunctionem inter Virum & fœminam firmissimam futuram, & patriæ societati prævalituram prævidit & asseruit*, Gen. 2. v. 23. 24. *Quod sine insigni Sapientia fieri non potuit. Non autem acquisita ea in Adamo fuit. E. concreata. Oppositum* Photiniani *tenent, & nullam singularem DEI aut creatorum notitiam homini integro concedunt, Vt ex* Socino de statu prim: hom: c. 4. 6. Smalcio de Natu: Dei filio, c. 7. aliisq; *patet; Varijsq; rationibus sua probare satagunt, de quibus in doctrina de primo homine ejusq; statu pluribus agi solet.* Ex fanaticis Paracelsus l. de Vermibus C. 1. *Adamum antè lapsum cognitionem luminis Naturæ habuisse negat. Sed Scripturæ & Naturæ, sanæq; rationi id contrariatur, quæ omnem perfectionem magis in integro, quàm corrupto statu, homini tribuendam docet.* V. C. 1. t. 16.

2. Post lapsum *reliquias quasdam notitiæ naturalis per animam à parentibus in sobolem propagari patet*, 1. Quia anima *rationalis non nisi propagando in sobolem hodiè à parentibus traducitur*, Vt Natura benedictionis divinæ *animalibus & homini cumprimis de tota specie ex se propaganda, Cujus potior pars anima seu forma est, impertitæ*, Gen. 1. v. 22. 28. C. 5 v. 2. *Et*

post

post lapsum etiam repetitæ, C.8. v.17. C. 9. v.1.7. Natura item veræ & univocæ totius speciei generationis, *quæ sine formâ ac animâ traducta fieri non potest*; Et deniq; Natura traducti in nos à parentibus peccati originalis, Ps. 51. v. 7. *Ortiq; inde ad mortem æternam & temporalem reatus, tanquam stipendij peccati*, Rom. 6. v. 28. *abundè docent*; *Et plenius alibi ostensum fuit*, Dec. 2 Miscell. d. 3. t. 23. seq. E. *& perfectiones aut dispositiones in animâ nonnisi propagando in hominem hodie traduci possunt*, *Inter quas notitiæ naturales sunt, quæ ad modum dispositionis post habitum residuæ se habeant*, C. 2. t. 26. *Propagandæ autem animæ humanæ Causa primaria Deus est, qui peculiari modo hic concurrit*, Vt c. I. d. 3. t. 22. & d. 4. t. 2. *dictum. E. & Notitiæ in ista anima peculiaris causa erit.* 2. Quia omnis veri boniq; in homine Causa prima Deus est, ut prima & essentialis veritas ac bonitas, Jac. 1. v. 17. *Notitiæ autem Naturales sunt veræ & bonæ*, Vt C.4. t. 1. seq. *patebit. E. & earum prima Causa Deus erit.* 3. Quia certæ perfectiones hominis sunt, & in ulteriorem notitiam *Creatorum & Creatoris deducunt. At perfectio omnis, & quicquid ad DEum cognoscendum nos deducit, ortum à Deo ipso trahit, ejusq; primaria ipse causa est.*

3. Oppositum *hic tenent* illi, *qui omnes Notitias Naturales in homine irregenito & gentili post lapsum vanas, impias, falsas, & à Sathanâ ac carne, non Deo, esse dicunt, ut* Hoffmannus & alii, *de quibus* C.1.t. 16. *dictum. Contra quos notandum*, 1. Notitia naturalis *de Deo veritas Dei est, & sic expressè appellatur*, Rom: 1. v. 25. *At veritas omnis à Deo ut Authore est, non Sathanâ aut carne. Deus n. prima & essentialis veritas, Vt* in Intelligentiâ *docetur.* 2. Si Cognitio Naturæ opus carnis est, *E. damnabilis est, & propter eam hominem damnari necessum*

cessum erit. Sic enim de operibus carnis Scriptura loqui solet. 1. Cor: 6. v. 9. seq. Gal. 5. v. 19. seq. *At hoc absurdum & impossibile est. Notitia enim ista principium recti; veri, honesti, & aequi, in homine est, & quod peccati fugam, virtutis amorem inducere debet,* C. 1. t. 7. *At tale quid damnationis causam esse, impossibile est.* 3. Veritas est Conformitas mentis cum objecto & re, non subjecto & dicente. *Fundamentum enim ejus res est, & cum dicitur, quod res vel reali vel intellectuali consideratione est, tum veritas est, qualecunq; subjectum dicens sit, sive id apud Deum in gratiâ sit, sive in irâ. E. & in notitiâ naturae fundamentum veri res erit, & sic ob hominem impium nullo modo falsa & â carne, aut Sathanâ esse poterit.* 4. Multa, quae notitia Naturalis tradit, *in ipsâ Scripturâ â Deo traduntur, ut Deum esse, Unum, verum, justum, bonum, scelerum vindicem esse, vitia fugienda, virtutes amplectendas esse, non furandum, non occidendum, moechandum, concupiscendum esse, quae passim in Scripturis traduntur. Si notitia Naturalis â Sathanâ est, E. & ei consona â Deo in Sacris tradita ab eo erunt. At hoc blasphemum & impium est. E. & prius.* 5. Notitia Naturalis per se ad Notitiam revelatam manuducere debet, *ut Deus inquiratur, inveniatur, & colatur,* Act. 17. v. 27. *Sed quod tale, falsum aut â Sathanâ esse non potest.* Dices 1. Intellectus hominis infidelis est aversus â Deo, *inimicitia contra Deum, tenebrae, dissentit â Deo,* Rom: 8. v. 7. Eph. 2. v. 3. 12. cap. 4. v. 10. *E. & notitia ejus vana, erronea, & â Sathanâ erit.* R. Intellectus *infidelis,* in quantum formaliter infidelis est, *talis est. Sed Notitia Naturalis est ejus, non in quantum praecisè infidelis & tenebrae est,* Sed in qvantum lumine naturali instructus est, quod lumen non tenebrae est, sed verum lumen ex imagine Dei residuum, *quam â Deo olim*

homo

homo habuit, non Sathana, & quæ opus Dei in articulo 1. Creationis fuit. Opera carnis ab infideli, quà talis est, sunt, eoq; & â Sathanâ sunt. Sed ad ea notitia Naturalis non pertinet, quæ opera carnis inhibere, & honesta promovere debet, ut ante dictum. Confer. C. 4. t. 3. 4. 2. Quicquid in homine coram Deo est, aut â carne, aut â Spiritu est. *Tertium aut medium Scriptura ignorat. Sed notitia naturalis non est â Spiritu, secus inter opera Spiritus* Gal: 5. v. 22. *recenseretur. E. â carne, & consequenter vana & â Sathanâ. R, Quicquid in homine coram Deo* in statu nempè Spirituali & foro supernaturali est, *vel caro vel Spiritus, vel â Deo vel Sathanâ, Salvandum aut damnandum est. Sed notitia Naturalis ad statum naturæ, & forum civile pertinet, Hic Natura & Deo, ut author Naturæ & creator, causæ esse possunt, & hic medium quid inter carnem & Spiritum dari potest.* Sic artes omnes Civiles & Mechanicæ *â Natura & naturali intellectu ac Deo eum concreante sunt,* t. 8. *Edere bibere, moveri, generari, Crescere, â naturâ sunt, non præcisè carni aut Spiritui assignari debent, eoq; medium hic dari potest, nec ad statum hominis Spiritualem coram Deo talia pertinent,* Conf. C. 4. t. 4. 5. Et Lib. 1. præcogn: Theolog: C. 4. t. 12. 3. Omne figmentum hominis tantùm pravum est â pueritiâ, Gen: 8. v. 21. *E. & Notitia Naturalis. At pravum â Sathanâ, non â Deo est. R. Nimirùm in rebus Spiritualibus, cognitione Spirituali & salvificâ, & quæ coram Deo Spiritualiter valere debet, figmentum hominis totum vanum, nihil, & pravum est, nihilq; proprio virium arbitrio potest.* Et de talibus dictum *istud loquitur. Non autem valet de cognitione Naturæ, ubi rectum, verum, & hactenus bonum Deoq; placens esse potest, quâ ab eo ut Creatore proficiscitur. Et huc lumen intellectus naturale pertinet, & cognitio ab eo fluens.* Conf. C. 4. c. I.

4. Quo-

4. Quomodo autem Deus notitiarum istarum Causa sit, an ut immediatè eas animæ imprimat, an ut mediantibus parentibus, qui animam propagando traducunt, eas implantet, *ulteriùs quæritur? Prius affirmat* Zanchius in Vol. cap. 10. t. 8. Martyr in Vol. Tract. Theolog. l. 1. de lege Dei, pag. 174. *Et tenere id coguntur, quotquot* immediatam animarum in homine creationem *defendunt, quales ex* Reformatis, Papistis, Weigelianis pleriq; *ex Patribus & Philosophis multi sunt*, ut dec. 2. Miscell. c. 1 t. 5 *multis ostendi.* Posterius *propagationem animæ ex homine sequitur, quam peculiari constitutione fundavit & benedictione firmavit Deus, ac natura veræ propriæq; generationis requirit*, ut c. 1. t. 23. *Seq. ostensum. Hoc modo & mediatè Deus notitias istas imprimet.* 1. Quia animâ *propagatâ omnia animam naturaliter consequentia propagari necessum est, inter quæ & naturalis notitia.* 2. Quia *si Deus immediatè notitias istas imprimeret, non possent reliquiæ imaginis divinæ appellari. Sic enim dicuntur, quæ ex veteri aliquo residua sunt, non quæ de novo immediatè ad rem allata aut impressa sunt. Sic Sigillum non reliquiæ dici potest, si de novo in ceram imprimitur, cum antea in ea non fuerit. At omnibus appellari ita solent.* 3. Quia *miseria & ignorantia in animâ naturaliter in nos propagantur, ut ex peccati doctrinâ patet. E. & notitia ei ex parte opposita propagari debet.* Vid. C. 2. t. 12. *Ut oppositorum quâ propagationem in homine hactènus eadem sit ratio.*

5. Efficiens secunda notitiæ naturalis primaria & secundaria est. Primaria in suo genere, causæ nempe secundæ, *Natura, Ordinaria DEI in rebus vis ac potestas*, V. C. 6. t. 2. Et parens uterq; hominem generans, animamq; cum corpore propagans est, *& sic etiam consequens in animâ residuum*

duum imaginis divinæ, notitiam naturalem communicans, ac in sobolem transferens. Secundaria ac instrumentalis vis generativa & plastica est, *quâ ut facultate interveniente homo generat hominem, prout Substantiæ creatæ plerasq; operationes suas per medias facultates & potentias exequuntur, non immediatè essentiis suis agunt, ut* dec. 1. Miscell. d. 4. t. 13. seq. *ostensum. Hac & hominem generat, sic & per eam animam propagat; & consequenter dispositionem in intellectu ejus, quam notitiam Naturalem vocamus, transfundit.*

6. Finis notitiarum naturalium primarius & secundarius esse potest. Primarius gloria Dei, *ut Dei bonitas, sapientia, potentia, justitia, & veracitas clarius elucescat, agnoscatur, prædicetur, & disseminetur. Omnia enim propter semetipsum suiq; gloriam Dominus creavit.* Prov. 16. v. 4. *Et sic etiam in homine lapso post lapsum notitiam aliquã superesse sivit, quô in sui inquisitionem, agnitionem, & celebrationem homo deduceretur, sicq; gloriosa Dei gratia in omnibus palàm manifestaretur.* Secundarius *varia hominis perfectio* tùm *respectu Dei*, tùm *mundi & creaturarum*, tùm *sui ipsius*, tùm *proximi sui & Societatis humanæ esse potest. Qui pluribus ex attributis notitiæ naturalis, necessitate ac utilitate ejus, de quib9* C. 4 t. 11. 12. *patebit.*

7. Internæ causæ sunt, quæ essentiam earum ingrediuntur, respectumq; ad eam obtinent. Suntq; forma & materia. *Formæ loco est hic ipsa notitiarum essentia, Definitione* C. 2. t. 2. *expressa. Accidentia enim formas â se distinctas, per quas constituantur, non habent, sed ipsa meræ puræq; formæ sunt, per quas alia subjecta & materialia informari possunt, ut in Metaphysicis docetur.* Causa materialis ex quâ etiam nulla est, cum accidentia ut meræ formæ, *talem materiam*

nō habeant, ut in iisdem docetur. *Pro eâ* materia in quâ & circa quam *assumitur*, quæ subjectum & objectū *accidētium esse solet.* Subjectū in notitiis naturalibꝰ est, *in quo eæ ordinariè esse solent.* Quod vel denominationis, vel inhæsionis, vel perfectionis esse potest. *Tot modis enim accidens aliquod subjectum suum maximè respicere potest.* Subjectum denominationis *in notitijs naturalibus est homo animâ & corpore constans. Is enim propriè denominatur Deum naturâ noscere, discrimen honestorum & turpium naturaliter cognitum habere, naturâ rectè se habente vitia odisse, virtutes amplecti velle, prima & universalissima principia vera pervidere, &c.* Subjectum inhæsionis, *cui notitia inhæreat, propriè anima humana est, non n. Corpori inhærent, quod cognitionis alicujus per se & in seipso capax non est, ut post separationem animæ â corpore patet, ac omnes dispositiones, perfectiones, habitus, similiaq; in animâ sunt, ut inhæsivo subjecto, per corpus interdùm exercentur, ut applicativum & organum animi conjunctum, ac ab eâ informatum.* Subjectum informationis & perfectionis, *quod maximè a notitiis istis informatur ac perficitur, est intellectus humanus sive facultas intellectiva, cujus dispositio & habitus omnis cognitivus proxima est perfectio, major aut minor, inchoata magis vel consummata,* t. 11. 12.

8. Objectum notitiarum naturalium est, circa cujus cognitionem illæ versantur. Estq; primarium & secundarium. Primarium est principium naturale, naturæ lumine cognoscibile, incomplexum, ut *Deus, unde Theologia naturalis, & quicquid naturaliter de Deo sciri potest, deducitur,* Et complexū, *ut totum est majus suâ parte, Quodlibet est, aut non est,* theoreticum & practicum, primarium & secundarium, principale & instrumentale, *ut in divisionibus notitiarum*

rum pluribus patebit. Secundarium est omne reliquum naturæ cognoscibile, ad quod homo naturâ duce & ej9 lumine beneficio principiorum naturalium se proferre potest. *Quorsùm pertinent materiæ artium civilium, tàm realium, ut* Metaphysicæ, Physicæ, Mathematicæ, Ethicæ, Politicæ, *quàm instrumentalium,* ut Logicæ, Rhetoricæ, Poëticæ, Grammaticæ, *itemq́ artium illiberalium,* ut Sutoriæ, sartoriæ, Pellioniæ, fabrilis, *quas homo lumine naturæ invenire, tractare, excolere, & perficere, sicq́ seipsum illis civiliter perficere potest. Circa hæc enim omnia, ut conclusiones, hypotheses, consequentias ex principijs naturaliter cognitis deductas, & à naturali intellectu hominis formatas, observatas, & repræsentatas, notitia naturalis tandem occupatur.*

9. Circa Objecti notitiæ naturalis amplitudinem *quæri potest* 1. An & mysterium Trinitatis in divinis ad illud objectum pertinere possit, ut proindè ex Naturâ illud inveniri, cognosci, & demonstrari queat, etiamsi nulla Scripturæ revelatio de eo extaret? *Affirmans placet ex Veteribus* Raimundo Lullio, ap. Vasquium d. 133. C. 1. 2. 3. & Tannerum T. 1. d. 4. q. 1. d. 2. Henrico quodlibet. 8. q. 14. Richardo de S. Victore l. 1. d. Trinit. c. 4 L. 3. c. 5. L. 9. C. 1. *Quamvis in alium sensum eum* Thomas *explicare velit,* q. 32. a. 1. Scoto l. 1. sent. d. 2. q. 10. Raimundo de Sabunde in The: nat: c. 3. 4. 5. seq: Quibus Justinum & Lombardum *quidam adijcere volunt,* ut Affelmannus in Sylloge Exercitat: Theol: d. Trinit: q. 2. *Sed de adumbratione magis ex Naturâ sumptâ, quæ apud Patres usitata est, illi loquuntur, quàm ipsâ cognitione.* V. Augustinum l. 9. d. Trinit: usq; ad 15. Damascenum l. 1. d. Orth: fid: C. 5. 6. 7. aliosq;. *Ex Neotericis* Mutio Pansæ l: d. Oscu. Chi: & Ethn: Phil: C 36. *Ex*

parte Mornæol: 1. de Verit: rel: Christ: C. 5. 6. *Et validè omninò* Keckermanno l. 1. Syst: Th: c. 3. *Vbi ex naturâ & essentia Dei, intellectus, & voluntatis, promanare Trinitatem personarum contendit, & Deum non posse esse Deum ait, nisi tres distinctos existendi modos s. personas habeat. Quod omninò ex ratione & naturâ Trinitatem probare est. Similia Scheckio* C. Antitrinit. & in Confut: Genebrardi, Musculo L. C. d. Trinit: p. 7. Chavassio l. 1 de notis religion: C. 8. alijsq; *videntur. Ex Chymicis multi varias ex naturâ pro eo adumbrationes adducunt*, ut Faber in Alchym: Christiano C. 1. 2. 3. 4. & 5. Dorneus in Philos: Chemica, Vol: 1. Theatri Chymici p. 514. seq. *Rectiùs negatur. Quod patet* partìm Scripturâ, *quæ negat quenquam Patrem cognoscere, nisi per filium, & cui filius revelare voluerit*, Matth: 11. v. 27. Luc. 10. v. 22. Joh: 1. v. 18. *Et Deum abstrusum Ens esse dicit*, Esai: 45. v. 15. *Mysteria fidei naturæ lumine à nobis cognosci posse negat*, Matt: 16. v. 17. 1. Cor: 2. v 7. seq. Partim Naturâ, *quia in naturalibus vix perfectè res cognoscimus*, Eccles: 8. v. 17. Sap: 9. v. 16. *Quod omnium Philosophorum querelæ de Veritatis profunditate & Intellectus humani cæcitate testantur.* V. dec. 2 misc. d. 4. t. 2. *Quomodo in supernaturalibus ad eam cognoscendi perfectionem ex naturâ ascendamus, ut tria in uno hic agnoscamus? Et ex naturæ lumine tantum in Dei ut causæ ex effectis cognitionem devehimur. Sunt enim creaturæ effecta Dei de Deo ut causa testantia. At sic de Deo tantùm cognoscitur, quòd creator sit, unus, omnipotens, non autem, quod subsistendo trinus. Rationes etiam, quæ hic adferuntur*, omnes à posteriori sunt excogitatæ, *quando Trinitas jam ex Scripturis innotuit, nulla à priori & sine omni præsuppositâ Scripturæ revelatione procedit. Et quæ ex gentilibus adferuntur, ex* Hebræorum, Judæorum, & Christiano

stianorum *Scholis desumpta sunt, ut ex oppositis rationibus pluribus constabit*. t. 10.

10. Dices I. Perfectissimus intellectus perfectissimam sui gignit imaginem. *At imperfectus intellectus imaginem gignit accidentalem. E. perfectus Substantialem gignit. At hæc est persona aliqua, Et sic jam secunda Trinitatis persona. R.* Nec *omnis intellectio fit per imaginē, sed quædam per ipsam intellectus essentiam, Vt cum angelus reflexè seipsum cognoscit, aut ipsam speciem intelligibilem, aut substantiam divinam, Vt* in Michaël. t. 24. *dictum, Quod & de anima separatâ procedit:* Nec de *Deo dici potest, quòd per imaginem aut speciem intelligat, perfectioni enim & eminentiæ intellectus infiniti id repugnat, qui per essentiam omnia intelligit, non per speciem, Elevaret n. se aliàs ex non intelligendo in intelligendum, aut actu primo in secundum per speciem, quam formaret:* Nec *istam speciem ipsam essentiam intellectus esse necessum erit, Cum omnis sit accidens in intellectu, quantum ex Naturâ hauriri potest, filius Dei a. eandem numero cum Patre essentiam obtinet:* Nec *ulla species intelligibilis est modus, quod illi personam esse volunt, qui sic arguunt:* Nec *distinctæ personæ Ariano inde ullo modo probari possunt, Nulla enim species intell: unquam est persona, quantum ex Naturâ observamus:* Nec *objectum intellectus divini tantùm Deus ipse est, Cum & Creata omnia, etiam prout ante mundum in potentiâ obedientiali ad Deum fuerunt, per eandem essentiam intellexerit. Et si* Patris *intellectus novam substantiam producit, Cur non* filii *intellectus idem facit, Cum æque ut Patris, perfectus, imò ipse idem sit?* Cur *non Spi: S. intellectus idem præstat? Sic filius & Spiritus S. seipsos gignent! Intellectionem etiam statim generationem dicere valdè Tropicum & metaphoricum est. Generatio a. filij Dei proprijssima, non Metaphori-*

taphorica est. V. Natalit. t. 3. *Nec à gentilibus Scripturæ revelatione totaliter destitutis tales ratiocinationes ex solo Naturæ lumine ullo modo formari potuerunt, sed* à Christianis Scripturam habentibus *deductæ fuerunt, qui notitiam Trinitatis jam ex Scripturâ habuerunt, & ut certam præsupposuerunt.* 2. Perfectissimus intellectus perfectissimam voluntatem habet, *quâ in perfectissimum objectum feratur. Et Sic cum Pater in filium ut imaginem suam perfectissimè feratur, filius vicissim in Patrem, ex conjunctione & communi desiderio utriusq; tertium existendi modum oriri necessum est, quem Spiritum S. vocamus, Et sic etiam tertia persona in Divinis probata.* R. Nec tertium istum existendi modum personam & *Substantiam esse, nec præcisè realiter à Patre & filio distinctam esse, nec eandem numero naturam cum Patre & filio habere, hinc consequitur,* nec *voluntatis objectum tantùm Deus est, nam & omnia Creata extra se vult, illisq; bene esse voluit,* Gen. 1. v. 31. 1. Tim. 2. v. 4. Nec *quisquam ex merâ Naturâ ad istas speculationes de intellectu & voluntate, & communi utriusq; desiderio in Deo tanquam tribus distinctis existendi modis realiter inter se diversis, devenire potuisset, nisi aliquid de Trinitate in Divinis ex Sacris vel traditione majorum, aut famâ, relatione, institutione, vel lectione librorum sacrorum, aut aliunde,* V. t. 15. 16. *jam præconcepisset, unde postea speculationes de intellectu, voluntate, amore, & similibus deduxisset. Et, si ex Patris & filij Conjunctione tertius subsistendi modus oritur,* Cur non ex filii & Spiritus S. conjunctione Novus aliquis & quartus subsistendi modus oriatur? Cur *non ex imagine creaturis communicatâ quintus aliquis Deus prodeat? Satius ab omnib: istis argutijs abstinetur, & in Scripturæ revelatis permanetur.*

11. 3. Naturaliter cognosci potest, Trinitatem non esse

esse impossibilem. *E. & esse possibilem. R. Supposita veritate fidei & revelationis ostendi potest, non esse eam impossibilem, & quæ contra eam adferuntur, quasi esset impossibilis, sufficienter dissolvi possunt, non autem ex mero naturæ lumine id cognosci potest. Si nulla esset Trinitatis à Deo revelatio, non posset naturaliter cognosci, Trinitatem esse possibilem.* Natura *enim eò per creaturas nos non ducit, ut tria supposita unicam essentiam habere possibile judicetur, sed potiùs ad contrarium ejus, quod hoc prorsus impossibile sit, nam unam tantùm unius rei esse essentiam & subsistentiam docet, Non unius essentiæ trinam subsistentiam. Quanquam* multa specialia hujus mysterij in hac vitâ latent, & in futurâ vitâ demùm patent, *Vt ignorando & ad visionem beatificam anhelando plurima hic pium Christianũ differre oporteat,* Vt libris de fide Christianâ dicam. 4. Per lumen Gloriæ Trinitas apertè cognoscitur. *Sed lumẽ istud creatũ quid. Creata a lumini naturæ subjacẽt. E. & per lumẽ Naturæ Trinitatem agnoscere poterimus. R. Lumen gloriæ est creatũ quid,* sed supernaturalis ordinis, nõ lumini naturæ subjectũ, *eoq́; cognitio ejus non est cognitio naturalis luminis, sed longè superioris, & ab eo ad luminis naturæ cognitionem non valet consequentia. Nec creata omnia naturæ lumini præcisè subjacere tenentur. Sic visio beatifica angelorum & hominum beatorum,* Matth. 18. v. 10. 1. Joh. 3. v. 2. *Hæreditas regni cœlestis creatum vel præparatum quiddam sunt,* Matth. 25. v. 34. *Non tamen lumine Naturæ, sed gratiæ & Scripturæ cognoscuntur. Cœlum beatorum creatum quid, & distinctè quà statum suum non nisi ex Scripturis cognoscitur.*

12. 5. Naturaliter cognoscitur, Deum esse omnipotentem, *& posse omne possibile. Sed ad possibile etiam pertinet, generare filium, & Spirare Spiritum posse. E. & hac naturali-*

turaliter cognoscentur. R. Naturaliter *cognoscitur Deum omne possibile posse,* sed quod lumen naturæ ex se possibile esse agnoscit. *Sed Deum filium ex se gignere, & Spiritum aliquem ex se spirare, quæ diversa à Patre supposita, & ejusdem numero essentiæ cum eo sint, Lumen naturæ non pro possibili, sed potius impossibili agnoscit, omniaq́; quæ tradit, potiùs ad contrarium ejus inclinant,* t.11. *Et spiritum, qualis Deus, generare posse pro impossibili habet,* t.13. *Nõ ergò & id Deũ posse naturaliter potest cognosci, & sic Trinitas non est naturaliter agnoscibilis.* Natura *Deum omnem effectum possibilem extra se producere posse videt, sed hæc omnipotentia est commune omnium personarum attributum, & essentiam sequitur, quæ unica est. Sed Deum Patrem esse, & intra se generare ac spirare alia â se supposita posse, lumen Naturæ nunquam ex se videbit.* 6 Naturaliter agnoscitur actionem ad productum quid terminari, *& intelligere ac velle in Deo actiones immanentes esse. E. & ad aliquid productum in Deo terminari oportere. Sed productum intellectionis est verbum, Volitionis amor. E. in Deo verbum & amorem productum esse naturaliter intelligitur. Sed producens & productum realiter distinguentur. E. verbum & amor in Deo à producente realiter distinguuntur. In Deum autem non cadunt accidentia, ut ratio videt. E. Substantiæ erunt, & sic in uno Deo tres realiter distinctæ substãtiæ naturaliter agnosci possunt, quod Trinitatem agnoscere erit.* R. Om. vera actio realiter ab agente distincta *ad aliquem terminum productum terminatur, & hoc lumine naturæ agnoscitur. Sed intellectio & volitio non est actio realiter â Deo diversa, sed â parte rei* ipsa Dei natura ac essentia, *ut ex illis, quæ de attributis Dei* dec.1. Miscell: d. 4. t. 9. seq: dicta, *patere potest. Nec ergò terminum ejus realiter à*

ter à Deo differre, nec personam realiter ab aliâ diversam esse, naturaliter agnosci potest.

13. 7. Naturaliter agnoscitur, omnem creaturæ perfectionem eminenter & seclusâ omni imperfectione in Deo esse. *E. & generationem in Deo esse naturaliter agnoscetur. Sed ex generatione est filius Dei. E. Deum habere filium naturaliter agnoscitur.* R. Naturaliter *perfectionem creaturæ in Deo esse agnoscitur, sed quæ Deo conveniens sit, non inconveniens. Sed generare corporeis & materialibus Naturis convenire natura agnoscit, â Spiritualib: prorsùs alienum esse existimat. Itaq; nec Deo convenire naturaliter agnoscitur, sed magis ei repugnare ex spiritualitate, unitate, singularitate, simplicitate, & eminente perfectione Dei â Naturâ colligitur. Eoq; nec Deum filium habere inter naturalia cognita est, sed inter ea refertur, quæ homini ex se inperuestigabilia sint,* Prov. 30. v. 4. 8. Naturã reperiri in multis suppositis perfectionis alicujus est. *Sed per divisionem & multiplicationem inveniri imperfectionis alicujus in finitis & creatis est. E. hæc imperfectio in Deo removenda, & perfectio attribuenda est, & sic natura Dei in pluribus suppositis per unitatem & indivisionem erit. Quod est Trinitatem agnoscere.* R. Sed naturam *in suppositis pluribus unitate sui sine multiplicatione inveniri posse, natura ex se nunquam possibile ducet, sed impossibile esse dicet, cum in Naturâ omnia ejus diversa & adversa observet, & naturas semper ad suppositorum numerum multiplicari videat. Nec ergò id in Deo esse posse ex se judicare potest.* 9. Animam rationalem totam unamq; numero in partibus realiter inter se diversis esse *naturaliter cognoscitur. Cur non naturam divinam in plurib: suppositis realiter distinctis esse, similiter agnosci possit?* R. Diversa ratio est. *Natura divina ita in pluribus suppositis est, ut*

realiter cum singulis idem sit, cujus simile natura non reperit, sed repugnantia esse judicat. Anima ita in singulis partibus est, ut realiter ab illis diversa sit, *tanquam forma à materiâ, quam informat, à suis facultatibus etiam realiter tanquam substantia ab accidentibus ex eâ naturaliter emanantibus, & realiter ab ea distinctis differt, ut* c. l. d. 1. Misc. t. 13. seq. *ostensum, Quod non in Deo. Personæ enim realiter ab essentiâ non differunt, sed reverâ idem illi sunt.*

14. 10. Infinito modo se communicare infinita perfectio est. *Sed non ad extra se Deus creaturis ita communicat E. ad intra pluribus suppositis ita se communicabit.* R. Infinitè se communicare *Deo possibile esse homo per naturam videre non potest, sed potiùs contrarium ejus assumet, nec ad extra id fieri posse, quia nulla creatura infinita esse potest, nec ad intra, quia talem communicationem non nisi per divisionem naturæ fieri censebit, quæ divisio extra communicantem jam erit, & sic ad extra, non ad intra erit. Nec naturaliter agnoscitur possibile esse aliquid, Cui divinum esse infinitè communicetur, sed potiùs id ut incapax ac impossibile respuitur.* Et satis Deus infinitè communicativus agnoscitur, *Si creata ad extra infinitè multiplicare, perficere, conservare, variare, aut unire & componere queat,* non opus, *ut ad intra Deus à Deo procedat, Quod naturæ judicio impossibile judicatur.* 11. Naturaliter cognoscitur, *unam numero essentiam entis tribus realiter distinctis modis, uni, vero, & bono, se communicare, iisq́ unitate numericâ substare, non divisione aut multiplicate. Cur non unam numero Dei essentiam tribus suppositis substare posse agnosci posit?* R. Est longè diversa ratio. *Essentia Dei est singularis & individua:* Entis tàm universalis, qvàm singularis, *& ad utrumq́ indifferens esse potest. Nec modi entis sunt supposita realiter*

liter diversa, sed magis minusvè adæquati conceptus saltem in ente, quibus determinatè sub tali aut alio modo Ens in se unum concipitur & denominatur. V. Tract. d. Esse alicubi f. 1 t. 10. seq *In divinis autem unum suppositum nascitur, incarnatur, patitur, moritur, resurgit, in cælos ascendit, quod de cæteris enuntiare nullo modo licet: filius ex patre, Spiritus S. ex Patre & filio originatur, quæ possibilia esse ratio ex se nunquam assequitur. Non verum ex uno, nec bonum ex uno aut vero producitur, sed in se citra originem aut processum unius ex altero in ente esse observatur.*

15. 12. Naturaliter agnoscitur, felicitatem sine societate imperfectam esse, *Dei autem felicitatem perfectissimam esse. E. maximè societatem requirere, quæ personarum esse cogitur.* R. Felicitas, *quæ alicujus indiget, sine societate imperfecta est. Quæ autem omnia in se & ex se habet, nullâ societate indiget. Et talis* Dei *à naturali intellectu agnoscitur, qui ut infinitus, omnium perfectiones eminenter in se continet, & essentialiter in & à seipso beatitudo sua sibi est, eoq; nec ex consortio aliquid ei accrescere potest, nec eo indiget, aut id desiderat.* 13. Essentia Dei realiter idem cum 3. personis est. *Sed essentiam naturaliter cognoscimus, quòd sit spiritualis, æterna, justa, bona. E. & 3. personas, quæ realiter cum eâ idem sunt.* R. Neg. consequentia. *Etsi realiter idem sit, ratione tamen ratiocinatâ fundamentum in re distinctè & diversimodè consideratâ inveniente differt. Vndè non omnia realiter eadem statim cognosci necessum est. Sic si voluntas, memoria, & intellectus in animâ humanâ realiter idem essent, ut* Scotus *voluit, ut* c. l. Miscell: *docui, non statìm, qui intellectum nosset, & distinctè voluntatem cognosceret. Alia enim distincta formalitas & quidditativus conceptus voluntatis, alia intellectus.* 14. Summa

bonitas sine caritate esse non potest. *Caritas autem non est nisi unius erga alium. Deus autem summa bonitas & caritas naturaliter agnoscitur. E. & alium ac alium in Deo esse naturâ notum.* R. Caritas alicujus etiam in seipsum esse potest, *non præcisè alio opus est. Et sic Deus summum amorem in seipsum ut objectum perfectissimum exseret. Et si omninò caritas in alium ferri debeat, saltem circa creaturas intellectuales possibiles in Deo essentialis caritas erit, ut illas propter ipsas amet, non ob id diversas personas intra ipsum Dei esse poni necessum erit.*

15. Varia gentilium, ut Pythagoricorum, Platonicorum, Platonis, Trismegisti, Plotini, Procli, Orphei, Ægyptiorum, aliorumq; de Trinitate *extant testimonia, ut ex* C. 6. Mornæi *patet, Sybillæ item de Deitate Christi testimonia habent, quæ allegat* Bellarmin: l. 1. de Christo, c. 11. *Quæ ex rationis lumine hauserunt. E. & naturaliter eam cognosci non est impossibile.* R. Vel hæc & *similia testimonia ipsorum gentilium non sunt, sed quasi essent, ab aliis conficta, illisq; supposita sunt:* Vel si *sunt, non tamen eo modo de Trinitate ab ipsis intellecta sunt, nec quid de filio & Spiritu dicerent, ipsi satis intellexerunt, sed locuti magis sunt, quàm quid loquerētur, sciverunt, aut intellexerunt, ut* Vives l. 2. d. Ver. fid. c. 2. *loquitur*: Vel si *intellexerunt, ex Scholis* Judæorum, Chaldæorum, Hebræorum, Assyriorum, Ægyptiorum, apud *quos peregrinati sunt, & in quibus semina & reliquiæ doctrinæ Patriarcharum manserunt, ea hauserunt, non mero naturæ lumine, ut* Tract. d. Conversione C. 3. t. 18. Et C. 9. t. 12. *dicam, & ex* Eusebio l. 9. & 10. præp: Evang: Justino Apol. 2. p. Christ: Cyrillo l. 1. c. Julia: Lactantio l. 4. Instit. c. 6. 7. Augustino l. 18. d. Civ: Dei, c. 36. Diodoro Sic: l. 2. Laertio in vitis Philosophorum, Pineda l. 3. d. rebus Salomonis C. 28. aliisq; patet.

patet. Conf: C. 1. t. 6. *Certum enim est, multa dogmatum Iudaicorum & Christianorum ad gentiles manasse, ab illisq; ex parte assumpta & proposita, ex parte etiam varijs fabulis & commentis involuta fuisse, non ex mero lumine Naturæ ab ipsis gentilibus excogitata.*

16. Sibyllarum *testimonia quod concernit*, Vel ea *& jam omnia sunt supposititia & à Christianis in subsidium propriæ sententiæ contra gentiles composita*, Vt Casaubonus ex. 1. n. 10. c. Baronium, Et ex. 2. n. 8. Et ex. 16. n. 154. Peucerus l. de divinat: p. 117. Alstedius l. 3. Th. Schol: c. 24. t. 10. aliiq; volunt, *Etsi aliàs Sibyllas fuisse & nonnulla vaticinatas fuisse concedi possit, non in totum cum quibusdam negari debeat*, *Vt* Socinus con. Wiekum C. 13. Class: 8. & alii *faciunt*: Vel *si veri quid hic subest*, Vt Frantzius de Interpret. Script. p. 205. 208. seq. & alii volunt, *etiam à Iudæis & Christianis, traditione Majorum, libris V. T. universa ista à dæmone sumpta sunt*, Quem *Christianæ & Iudææ religionis peritissimum esse certum est, & à Sibyllis Sathanâ actis per furorem & mentis alienationem effusa, quæ & ipsæ postea eorum, quæ fudissent, oblitæ sunt, & versus imperfectè ab audientibus exceptos explere proprio Marte non potuerunt, ut lumini naturali, ejusq; meræ notitiæ hæc & similia adscribi non debeant, cum propheticis interdùm vaticinijs clariora existant. Habuerunt quidem gentiles ex notitiâ naturali semen aliquod religionis ac cultus Dei, hujusq; aliquod indicium, ritus, & ceremonias sacras: sed specialium mysteriorum fidei, ut* Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis, Justificationis, *Conversionis, Christi, notitiam non habuerunt. Hæc n. nec extra proprium suum revelationis principium, quod verbum Dei Scripturâ comprehensum est, patere possunt, nec extra Dei Ecclesiam, cui sermones Dei concrediti sunt,*

Rom.

Rom. 3. v. 2. *patere solent, Ex cujus famâ, conversatione, inquisitione, & similibus mediis gentiles sumpserunt, si qua harum rerum cognoverunt*, ut Tr. d. Conu. c. l. *dictum*. Aliud etiam, *suppositâ fidei revelatione congruentiam Trinitatis naturalib: rationib: verisimiliter suaderi posse, quod certum: Aliud, eam ex Naturâ firmiter ostendi posse, quod falsum.*

17. 2. An & Conversio hominis ad Deum ad Objectum naturæ referri queat, & gratia quædam generalis etiam extra verbum annunciatum dispensetur, ut ex eâ & naturali notitiâ tantum cognitionis homo desumat, ut verè se ad Deum convertere possit? *Ita quidam* Papistarum, Reformatorum, Arminianorum, Puccius & Pucciani, Assuerus, aliiq;, *existimant*, ut Tr. de Convers. C. 7. t. 4. 5. C. 9. t. 22. *ex parte dictum, Et hoc* Tractatu C. 4. t. 15. 16. *plurib: dicetur*. Sed 1. Conversio Opus Dei spirituale est, *spiritualem hominis immutationem concernens*, c. l. C. 2. t. 4. *At Spiritualia extra suum principium & forum, spiritualem revelationem, quæ Scriptura est, non patent*, t. 16. 2. Conversionis causa *instrumentalis est verbum Dei*, c. l. C. 7. t. 2. seq. *Sed hoc verbum etiam extra Scripturam non patet, & ab objecto notitiæ naturalis remotum est. E. nec id, quod per eam revelatur, ex naturâ patere potest, quale quid est conversio.* 3. Aversio à Deo *& peccatum in homine non distinctè patent, nisi ex lege revelata, & si generalia quædam ex lege naturæ pateant, ut* C. 6. t. 2. seq. *patebit. E. nec eorum opposita, quæ regressus a peccato & ad Deum reversio est, nisi ex revelatione patebunt. At hæc sunt ipsa Conversio, ut* cit. Tract. C. 11. t. 5. 6. *patebit. Debere hominem Deo, sibi, & proximo decenter vivere, à vitiis abstinere, bonum occupare, & sic generaliter converti,*

ex Naturâ patet. Conversio ipsa, quid, qualis, unde, & quotuplex sit, *non nisi ex gratiæ revelatione patet.*

17. 3. An Resurrectio mortuorum ex lumine naturæ videri possit, adeoq; sub objectis notitiæ naturalis comprehendi queat? *Affirmant nonnulli, quòd naturaliter cognosci possit, animam hominis immortalem & à Corpore separabilem, eiq; vicissim unibilem esse, & naturalem ad illud reunionis appetitum ac desiderium retinere, Deum justum scelerum vindicem esse, eaq; in nonnullis & in alterâ vitâ vindicare oportere, in quibus in hâc vitâ ea non vindicârit, sicq; animam corporii suo aliquando reuniri necessum esse, & similiter.* Vt Pacius ap. Gerhardū de resurr: t. 40. I. Martini Ex. Metaph. l. 2. t. 8. Et l. 3. miscell. d. 9. q. 7. Weigelius in dial. d. Christian. p. 180. *Vbi ex Alchymia probari posse asserit.* Faber in Alchym. Christiano. C. 8. Mornæus d. Verit. relig: C. 34. Raym. de Sabunde in Theol. nat. c. 324. aliiq;. Ex opposito alii ne *ex lumine gratiæ quidem perviderì, nec ibi revelatam esse existimant, sed merè contradictoriam censent, ut* Photiniani, *de quibus* Tra. d. Esse alic. s. 4. t. 79. dixi. Rectius lumine naturæ videri negatur, lumine gratiæ agnosci posse *asseritur.* 1. Quia inter *articulos fidei in Symbolo Apostolico continetur resurrectio Carnis, & credi dicitur. At quæ creduntur, lumine Scripturæ innotescunt, non Naturæ. Adæquatum enim credendorum principium verbum Iehovæ est, non lumen naturæ,* ut alibi *docetur, & consequenter inter objecta Naturalis notitiæ non referenda.* 2. Quia *plerumq; hoc objectum ab hominibus naturali lumine procedentibus contemptum & irrisum fuit,* ut ex Actis c. 17. v. 32. 1. Cor. 15. v. 12. seq. Et Justini, Epiphanii, Irenæi, Tertulliani, ac Arnobij *scriptis contra gentiles patet. Et quicquid alij gentilium hic interdum dixerunt,* ex Judæorum

rum aut Christianorum scriptis, *famâ, traditione Majorum, Conversatione, Institutione, aut similibus desumptum fuit, vel â Nostro Objecto diversum aut alienum, non ei simile est.* V. t. 15. 16. Possibile Resurrectionis analogiâ aliquâ ac similitudine *ex naturâ & arte, ut generationibus & resolutionibus Chymistarum, foliorum ac florum renascentijs, & similibus patet:* Ipse actus futurus & evidens certitudo *ejus ex lumine gratiæ. Argumenta probabilia, secundaria, inducentia, & possibile de eâ persuadentia ex Naturæ lumine sumuntur: Primaria, confirmantia, factum ipsum demonstrantia, cogentia, ex solâ Scripturâ. Illustratio resurrectionis ex naturâ est: probatio & ostensio ex Scripturâ. Quodammodò ex naturâ ea colligitur: Certiùs, pleniùs, particulariùs, & de facto futura non nisi ex Scripturâ innotescit.* Plurib. alibi hâc de re.

18. 4. An Creatio ex nihilo lumine naturæ pervideri possit, & ab Aristotele ac Platone agnita fuerit? *Affirmant* Timplerus, Zanchius, Mornæus, Keckermannus, Taurellus, & alii, *qui nullam creaturam ab æterno, ne quidem potestate absolutâ esse posse ajunt, de quibus* Tr. de multipræs. t. 79. *dixi, qui non possibilem solùm, sed de facto in mundo locum habere ex Naturâ patere censent.* Alii *possibilem quidem esse Naturæ certam ajunt, de facto tamen in mundo locum habere aut sub tali tempore, modo, circumstantijs, successione, factam esse solà Scripturæ revelatione innotescere censent, ut* Meisnerus p. 1. Ph. Sob. p. 498. Conimbricenses in 8. Phys. c. 2. q. 2. *Vbi ex Patribus & rationib: id probant*, Gerhardus, Brochmannus, Mentzerus, Hafenrefferus, aliiq; *Rectiùs hoc.* 1. Quia *fide cognoscimus, secula Dei verbo esse aptata,* Heb. 11. v. 3. *Fides autem est hypostasis eorum, quæ naturæ lumine non patent.*

De attributis & effectis notitiarum naturalium.

THESIS XVIII.

Qvia *in Symbolo Apostolico in Deum Patrem Creatorem Cœli & terræ credere Christiani dicuntur. At puncta istius Symboli omnia superioris revelationis sunt, nec ullum eorũ nudo & mero Naturæ lumine patet. Nec simpliciter in Deum ibi credi asseritur, sed Patrem, Dn. nostri Jesu Christi scilicet, ut passim Scriptura explicat, qvod ex merâ naturâ nulli hominum innotescet. Qvod* Aristotelem & Platonem *concernit,* Aristoteles *mundum de facto æternum censuit, non creatum,* in Acroasi Physicâ & Metaphysicis: *Possibile tamen Deo esse creare aliqvid, ipsum sensisse patet, qvòd Spiritus, ut intelligentias, Dei opera esse agnoscat,* l. 2. Rhet. C. 23. & l. 2. d. gen. C. 10. *Qvi aliter nisi per creationem fieri non possunt, ut in* Michaelibus t. 17. *docui. Item Cum Deum omnibus causam esse ait,* l. 1. Metaphys. c. 2: *Cum Deum compleuisse totum dicit continuam generationem sublunaribus suppeditando,*, l. 2. de generatione, cap. 10. textu 59. & 12. Metaphys. cap. 4. 5. *Sed ista causa, Deus, non generat. E. creat. Et sic creationis possibile eum agnouisse ex veteribus* Thomas, Scotus, Albertus M. Hervæus, aliiq;, apud Conimbricenses c. l. articulo 2. *Ex Neotericis* Jac. Martini Ce. 3. & 4. Philosophica, & l. 2 exercitationum Metaphys. Ex. 5 t. 2. *& alii affirmant.* Qvidam *etiam per animæ humanæ creationem id docuisse censent, qvam foris advenisse dicat* 2 de. gene: animalium c. 3. *Sed istud per modum objectionis, non assertionis, ab eo dici* Decade 2. Miscell: d. 4. t. 23. *ostensum.* Alij *omninò etiam possibile ejus ei incognitum fuisse censent, ut ex Veterib.* Eudemus, Alexander, Pletho, Averroes, Simplicius, Gandauensis, Ariminensis,

Resp. ALBERTO CRUSIO Regiom. Boruss.

Bessario, Marsilius apud Conimbricenses citato loco a. 2. *Ex Neotericis* Pererius, Taurellus, Basso, Gassendus, Vives, aliiq;. Alii *notam qvidem ei fuisse fatentur, sed sine novitate essendi, & ab æterno à Deo spirituales substantias ac mundum velut emanatione qvâdam processisse, de qvibus omnibus* Conimbricenses c. l. Pererius 5. Phys. c. 7. Jac. Mart. Cen. 3. d. 9. q. 4. & Cen. 4. d. 2. q. 5. aliiq; *videantur*. Pluribus alibi *hac de re*. De Platone res *est manifesta, qvòd creationem & de possibili, & in mundo de facto agnoverit, materiamq; non propriè, sed adulterinâ qvadā ratione essentiā esse docuerit, Qvem* Pythagoras aliiq; *secuti sint, ut* Mornæus c. 10. de verit. relig. *testatur, Et ex* Timæo Platonis *apertè patet*.

19. 5. An providentiâ mundum regi naturâ constet, & firmiter ostendi possit? *Negant ex toto* Athei, Epicurei, Democritus, ap. Ciceronem l. 2. d. nat. Deor. Plinius l. 2. nat. hist. c. 7. Aliiq; gentilium, *qvorum qvidam fato, alij fortunæ, alij naturæ, alij politiæ & civili gubernationi omnia, qvæ fiunt, adscripserunt*. Claudianus l. 1. in Ruffin. & Tacitus l. 6. Annal. c. 4. *dubitant*. Ex parte *negant, qvi eam tantùm ad sublimia, universalia, species, & similia restringunt, à vilibus, defectuosis, individuis sejungunt, ut* R. Moses, Plato, Averrores, aliiq, apud Tannerum T. 1. d. 3. q. 1. d. 2. Qvibus Clemens Alexandrinus, Ambrosius, & Nemesius Aristotelem *adjungunt, qvod in libro de mundo tale qvid reperiatur, qvem autem verè* Aristotelis *esse doceri neqvit*. Hutterus L. C. d. provid. p. 223. Et alii *in eandem sententiam* Hieronymum in c. 1. Habac. *pertrahunt, Cujus tamen sententia in optimum sensum trahi potest, ut* Lombardus, Gerhardus, aliiq; *viderunt*; Vel *qvi in futuris contingentibus eam inficiantur, ut* Photiniani *& similes, de qvibus* alibi *pluribus. Veriùs contrari-*

trarium statuitur. 1. Si Deus *omniscius est, E. omnium scientiam tenere necessum est. Si scientiam, Cur non curam? Cum omnis sapiens de rebus scitis curam habeat, nisi obliviosus sit, qvod de Deo cogitare lumen Naturæ non permittit.* 2 Si Causalitas primi agentis *ad omnes motus & facta se extendit, Vtiq; & gubernatio ac ad finē ordinatio ad ea se extendet. Om.n.agens propter finem agit, nihilq; in Creatis est, qvod non in certum finem ordinatum sit, Vt inductio ostendit. At hæc est ipsa providentia.*

20. III. Si non est providentia aliqva, *Vnde mirabilis eventuum qvorundam contra intentionem & consilium humanum, fortunam, Vim, supra captum rationis interdum, directio.* Vnde *terrores conscientiæ in sceleratis, etiam potentissimis, & qvi in humanâ potentiâ majus fastigium timere non necesse habent, discrimen honestorum & turpium in mente humanâ luculentissimum, notitiæ naturales de Deo, Dei justitiâ, judicio, pœnâ, qvæ tam in impiis, qvàm piis se exerunt, & similia.* V. C. 1. t. 6. 7. Vnde *mirabilis iste & fixus ordo stellarum, motuum cœlestium, revolutionum dierum & noctium, generationum in speciebus perpetuâ serie durantium, constante decursu fluminum, singularis gubernatio Mundi, Politiarum, Ecclesiæ, societatis humanæ tot inter Sathanæ & pravorum furores Conservatio, & similia?* IV. Saniores gentilium *semper providentiam agnoverunt, tàm majorum, qvàm minorum rerum, de qvibus* Ciceronem c. l. Mornæum c. 11. 12. 13. de Verit. Relig. Iac. Martini l: 2. ex. Met. Ex. 5. t. 4. aliosq; *vide.* Plato *Deum ab eo negari ait, qvi providentiā negat,* l. 10. d. Legib. *Qvod euidentiam provid: ostendit.* De Scripturæ testimoniis alibi *tradetur.*

21. 6. An purgatorium, locus torturæ post mortem inter Cœlum & infernum medius, lumine Naturæ agnoscatur, ex eo ostendi possit, indeq; gentilibus agnitus fuerit?

rit? Ita Bellarminus l. 1. d. purgat. C. 11. Peltanus l.d. purgat. Salmeron in 1. ad Corinth. d. 26. Valentia T. 4. Th. Schol. d. 11. q 1. aliiq;, *Quod omnes ferè gentes*, Hebræi, Mahometani, Ethnici, ijq; tàm Philosophi, qvàm Pöetæ, *in eo consentiant, Qvalia non aliundè, qvàm ex lumine Naturæ sumi possint. Qvomodo Deum esse omnes consentiunt, qvod ex Naturæ lumine sumptum.* Verius *contrarium.* 1. Nec omne istud, *in qvo omnes gentes consentiunt, ex Naturæ statim lumine sumptum est: Nam & in idololatriâ & cultu Deorum alienorum, & viribus liberi arbitrii in cultu Dei, & fornicatione vix pro peccato habendâ, gentes consenserunt, qvæ pro lumine Naturæ tamen non agnoscuntur. Multæ gentes &* Origenistæ *& in eo consenserunt, pœnas malorum non fore æternas, sed finem tandem habituras, nec tamen ex lumine naturæ ista statim deprompta.* In credendis spiritualibus lumen naturæ cœcum, distortum, & depravatum est, *Vt deductiones ejus & conclusiones pro ratis assumi non possint, sed lumen Scripturæ ut adæqvatum spiritualium fundamentum hic audiendum. In conclusionibus enim & hypothesibus ex principiis & thesibus Naturæ deducendis sæpè vani facti sunt gentiles,* C. 4. t. 3. *Ad qvas dogma purgatorii, si habuerunt, pertinet. Error & insipientia lumini Naturæ adjecta fuit illud dogma, non ipsũ naturæ lumen.* Prima principia *luminis naturæ uerissima esse possunt,* ut deductiones *& conclusiones indè formatæ falsissimæ sint, sæpèq; gentes ualde contraria ueris hic assumpserunt,* C. 5. t. 14. *Lumen naturæ sæpè â revelatione abit, ex eâq; in spiritualibus corrigendum est. Sic in Deo ut unum esse, sic & unum subsistere docet. In Scripturâ tamen trinum subsistere in uno esse revelatur, indeq; Natura corrigitur. Lumen Naturæ Deum & hominem unum suppositum facere incredibile, imò impossibile habet. In sacris tamen reuelatur, indèq; creditur.*

Lumen Naturæ vitam aliqvam post hanc superesse videt. Qvæ tamen & qvalis ea sit, non pervidet, eoq; vani in eo facti gentiles, & ad fabulas de purgatorio, campis Elysiis, Lethæo fonte, Stygiâ palude, & similia delapsi sunt, qvæ ex sacris nos corrigere debemus, ubi duæ post mortem viæ, beata & damnata, non plures, repræsentantur. Lumen Naturæ pro culpâ temporali æternam pœnam infligi inconveniens habet. In sacris tamen revelatur. 4. Judæi *si purgatorium crediderunt, non ij fuerunt, qvi ut Sancti & pii ad legem & testimonium se composuerunt,* Esa. 8. v. 20. *Sed qvi vanis speculationibus, aut gentium aliarum cogitatis indulserunt, indèq; purgatorium aliosq; errores suxerunt.*

22. 7. An & Missæ sacrificium ex lege Naturæ deduci qveat? Ita qvidam Papistarum *volunt, Qvòd perpetua legis & sacrificij sit conjunctio, eoq; & in Republ. Christianâ ea obtinere debeat, Et sic sacrificium missæ inde extrui qveat?* Herberus de Miss. C. 1. Bellarminus l. 1. d. Miss. c. 20. Valentia l. 1. d. Miss. c. 4. Ribera in C. 10. Hebr. Feuardentius hom. 9. Job. aliiq;. Sed & falsum est, *perpetuam legis & sacrificij ex Lumine Naturæ conjunctionem esse, Cum multi gentiles sacrificia parum curârint, animum tantùm purum Deo offerendum censuerint,* Vt Seneca l. 1. d. benef. c. 6. Ep. 41. 96. Apollonius Thyanæus ap. Salmeronem T. 9. Commentar. Tr. 28. Philemon ap. Clementem Alexandrin. l. 5. Strom. *Et licet ea conjunxissent, non ex lumine Naturæ præcisè, sed famâ ac facto Patriarcharum & Iudæorum Deo sacrificantium id hausissent, Vt alia multa,* V. C. 3. t. 15. 16. Et Bellarminus ipse *Vniversaliter pronuntiare non audet, sed,* ferè omnis religio *ad cultum Dei sacrificia adhibuit,* ait, c. l. Et licet verum esset, *ad cultum tamen & sacrificium Dei in Novo T. trahi non posset, qvi totus præscriptus, & divinâ speciali revelatione nixus est,*

non lumine Naturæ in tàm specialibus ritibus inventus aut inveniendus. Perinde ac nec Cœnæ aut baptismi ritus *ex lumine Naturæ ostendi aut probari possit.*

Caput IV.

De attributis & effectis Notitiarum Naturalium.

SIc causæ & principia, subjecta & objecta *notitiarum naturalium fuerunt.* Seqvuntur attributa & effecta. Attributa sunt perfectiones in secundo momento illis competentes, à posteriori naturam earum ulterius determinantes & denominantes. Suntq; absolutæ & respectivæ. Absolutæ, qvæ citra respectum ad aliud qvid illis insunt. Suntq; & ratione qvalitatis & qvantitatis. Qvalitatis, *qvæ magis qvalitatem earum innuunt.* Vt Veritas, *& cum rebus congruitas, cum mente divinâ conformitas, certitudo, Deo complacentia, Ordo, & dignitas, & jucunditas.* Veritas est, qvà rebus ipsis, qvas notant, consentaneæ sunt, non ab illis alienæ. Hoc I. Inductione omnium specierum *in illis patet,* sive theoreticæ *illæ sint, ut Deum esse, bonum, justum, Veracem esse, totum majus suâ parte esse, qvicqvid est, intelligile esse,* sive practicæ, *ut, Honestè vivendum esse,* sive Organicæ, *ut sermonis & ratiocinationis Culturæ & justæ conformationi studendum esse, ut in speciebus earum* C. 5. 6. patebit. II. Qvod gentilibus *naturæ lumine de Deo notum erat, Paulus Dei Veritatem appellat,* Rom. I. v 18. 25. *Et justitiam,* v. 32. *Et à Deo ipsis revelatum dicit,* v. 19. *At qvæcunq; Deus revelat, verissima sunt, non falsa & mendacia. Prima enim, independens, & essentialis ille veritas est, à qvâ adeò falsum esse non potest, ut nec ab eo peccatum aut malum, qvia prima & essentialis sanctitas*

tas est. Sic soli tenebras inesse impossibile est, quia primum lucidum in Orbe corporeo est. Sic Athenienses ignoto Deo aram erigentes vero Deo inscienter cultum facere voluisse, Idem docet Act. 17. v. 23. *Veritas ergò aliqua ibi fuit.* III. Quia *ob istam cognitionem de Deo & legenaturæ gentes vocat inexcusabiles, Quòd cum Deum cognoverint, non tamen ut Deum coluerint,* Rom. 1. v. 20. 21. *At si falsæ ea esset, non ob eam inexcusabiles reddi potuissent.* IV. Quia *veritas est congruentia cum objecto & re, non subjecto & cognoscente. Cum dicitur, quod res est, sive in se absolutè, sive in meliore & distinctiore sui consideratione, verum est, qualecunq; subjectum cognoscens est. E. ex eo quod gentilis, impius, sceleratus, dicit Deum esse, Virtutum amplectendam, vitium fugiendum, neminem lædendum esse, Ignem calidum, aquam frigidam, terram immobilem, cælum perpetuò mobile esse, non id falsum esse potest, si cum re suâ consentiat.* Conf. C. 3. t. 3.

2. Oppositum *hic tenuerunt* Hoffmannus, Olearius, & complices, *& notitias naturales de Deo, Dei cultu, & similibus in gentilibus & impiis totas falsas, mendaces, & abominabiles dixerunt, ut* C. 1. t. 16. *dictum.* V. Malleum impiet. Hofmanni p. 12. 13. seq. *Et quia rationibus quibusdam se defendunt, etsi in Coronide Logicâ & disp. de cognitione humanâ magnam partem eas resolverim, hic ob materiæ similitudinem adducendæ erunt, cum nec scripta ista in omnium manibus sint, & rationes adducere ac resolvere ad pleniorem materiæ hujus tractationem pertineat.* Dices I. Principia naturalia non sine errore & defectu ex lapsu contracto post lapsum in homine reperiuntur, *& non nisi ex Scripturæ lumine perficiuntur ac corriguntur. E. & quæ impius aut gentilis de Deo aut ejus cultu dicit, erronea esse possunt.* R. Aliud accidens rei, aliud res ipsa.

ipſa. *Poſſunt errores & defectus, ut accidentia, cognitioni naturali adhærere, qvomodo & cognitioni Medicæ & Iuridicæ adhærere poſſunt: Ipſa tamen principia Naturæ rerum, & qvæ verè in illis fundantur, errores aut erronea non ſunt, ſed veritates, qvia à Deo immiſſa & inſita ſunt,* C. 3. t. 1. 2. *A qvo vitia & errores eſſe non poſſunt. Sic in Sutoriâ aut Sartoriâ errores artificum eſſe poſſunt, ipſa ars & habitus Sutoriæ ob id erroneus non eſt. Obſcurata & imminuta per lapſum principia eſſe poſſunt, non ſtatim falſa facta.* 2. Notitiæ naturales pars imaginis divinæ fuerunt. *At ea tota per lapſum deperdita eſt. E. & veritas iſtarum notitiarum.* R. Imago tota deperdita eſt in Articulo redemptionis & Sanctificationis: *Rudera & reliqviæ ejus per modum diſpoſitionis in mente humanâ manſerunt in articulo creationis,* C. 2. t. 26. *Qvæ veritates ſunt, non falſitates. Interior virium omnium perfectio, Sanctitas, & cum Deo congruentia deperdita eſt:* Aliqvid luminis & veræ cognitionis de Deo *& mundo ſupereſſe poteſt, ut in gentilibus patet, unde Politiam, religionem, ordinem, decorum, mores, inſtituta, bonas leges, & ſimilia inſtituerunt ac obſervârunt.*

3. Intellectus gentilium in ſpiritualibus cœcus, averſus à Deo, diſtortus, & pravus dicitur, Epheſ. 4. v. 18. *Sed cæcus nihil luminis videt. E. & gentilis nihil veri de Deo dicit.* R. E. in ipſis ſpiritualibus notitiis, *qvæ præcisè ſpirituales, & meræ revelationis divinæ ſunt, ut Trinitas, Spiritus S. Incarnatio, Redemptio, Vocatio, Converſio, Mortuorum reſuſcitatio, Sanctorum communio, Catholica Eccleſia, Peccatorum remiſſio, & ſimilia, plane cæcus eſt gentilis ex ſe, nihilq; videt, niſi ex Scripturâ reveletur.* C. 3. t. 9. ſeq. *Sed Deum eſſe, colendum eſſe, virtuti ſtudendum, vitium fugiendum eſſe, etiam naturalis notitia eſt, Objecto luminis Naturæ comprehenſa, ex eo dedu-*

deducenda & perficienda, ad finem naturalem, perfectionem hominis civilem perducenda, in quâ hactenus veritas esse potest, non tota falsa esse cogitur. Et Apostolus c.1. *de illâ depravatione loqvitur, qva cultus Deo debitus & ex Naturæ lumine videndus horribiliter detorqvetur in variam idololatriam, ac horrendis sceleribus, qvæ & lumen Naturæ detestatur, ut sacrificiis humanis, pæderastiis, Sodomiis, impuritatibus, & similibus, Deo cultum præstari creditur, qvod apud gentiles freqvens fuit,* V. Tract. de Conversione c. 6. t.12. *Qvæ cæcitates esse certum est. Sed indè totam naturæ cognitionem de Deo falsam & erroneam esse non seqvitur, etsi ista cognitionis ad pravum cultum detorsio erronea, prava, & Sathanica sit.* 4. Gentiles Veritatem Dei in mendacium commutasse dicuntur, Rom. 1. v. 25. *Et vani facti esse in cogitatis suis,* v. 21. 22. *E. eorum cognitio de Deo vana, mendax, & falsa fuit.* R. Non sequitur. *Non ipsa cognitio per id falsa facta fuit, sed veram in seipsâ cognitionem in mendacem & vanum cultum detorserunt Gentiles, & Dei, quem verè, non falsò ex Naturâ agnoscebant, qvòd esset, & omnipotens, justus, æternus, esset,* gloriam non verè applicârunt ad eas res, qvæ verè tales erant, sed in imaginem pecudis & hominis transtulerunt, v. 23. *Creaturæ magis, qvàm Creatori servierunt,* v. 25. *Horrendisq́, & innaturalibus sceleribus, quæ ipsa natura abominanda esse dictat, seipsos polluerunt, nec proprio Corpori eum honorem habuerunt, qvem deberi ipsi etiam ex naturæ lumine peruidere potuerunt,* v. 26.27. 28. *Et sic vani in impiâ istâ detorsione facti fuerunt, sed qvæ ad ipsum lumen Naturæ non pertinet, nec notitiam in se verã falsam reddere potuit. Ipsi* διαλογισμοὶ *gentilium naturæ lumini per vim illati vani & mendaces fuerunt, sed illi non ipsa naturæ notitia, sed speculationes ei superjectæ eamq́, conseqventes fuerunt.*

Sic Impius Deum esse dicens, factis eum negat, Tit. 1. v. 15. 16. *Quia ita vivit, acsi nullus omninò esset, & in vero Dei nomine jurans mendaciter jurat,* Jerem. 5. v. 2. *Quia quæ jurat, non præstat,* Es. 48. v. 1. *Sed ita leviter juramento ludit, ac si Deus nullus illud observans & periurium vindicaturus esset,* Sap. 14. v. 28. 29. *Non per id efficitur, ut id, quod verè juramentum est, tale non sit: sed ut tale non observetur, & compleatur, quod jurando assertum est. Sic* Socrates *unum Deum esse norat. Moriturus tamen gallum Æsculapio vovit, & sic in dialogismo suo vanus factus est. Plato unum Deum esse norat. Per jocum tamen sæpè à pluribus Dijs epistolam inchoabat.* V. Tract. d. Convers: C. 6. *Hic vanus factus est. Notitia tamen unius Dei in sese verissima fuit.*

4. 5. Aberraverunt Impii à vulvâ matris, Psal. 58. v. 4. *E. & quicquid illi de Deo dicunt, falsum est.* R. Si id dictum generaliter intelligendum sit, *non de Deo saltem, sed quicquid de ullâ re dicturus sit impius, falsum foret, ut hominem esse animal, Iustitiam virtutem, Elementa quatuor, Deum Spiritum, Terram immobilem esse, quod absurdum. Sensus dicti est; peccatum impiis connatum esse, ut prava agentes, & mendacia loquentes naturæ semina, quæ à vulvâ traxerunt, sequantur. Non ideò omne eorum enunciatum falsum, & à re alienum esse cogitur. Verum enim naturam objecti enuntiantis sequitur,* t. 1.

6. Tota irregeniti cognitio sapientia carnis est, non Spiritus. *Totus enim caro est, & carnalia sequitur, nec inter carnem & Spiritum in Theologicis medii quid est. Sed sapientia Carnis inimicitia adversus Deum est,* Rom. 8. v. 7 *& proinde falsa & mendax* R. Antecedens falsum est, *cum quædam sapientia in irregenito naturæ & luminis naturalis esse possit, ut Scientia herbarum, mineralium, animalium, Mathematicarum, moralium,*

Occa-

oeconomicarum, Politicarum, Medicarum, Iuridicarum & mechanicarum rerum, quæ si rebus suis consentit, vera & hactenùs â Deo, non carne ut sic, est, nec talia cognoscit, ut formaliter irregenitus, gentilis, impius, est, sed ut homo naturæ lumine & notitiis ex eo eductis instructus est. *Sic cognitio Logica ad benè ratiocinandũ, Grammatica ad congruè, Rhetorica ad ornatè, Pöetica ad ligatè loqvendũ non carnis ut sic, nec impÿ ut talis est, sed luminis naturæ & hominis animâ rationali instructi, & notitias naturales insitas ac lumen aliqvod intellectus habentis est. Caro ut sic tantùm principium malorum est. Spiritus ut sic, tantùm bonorum*, Rom. 7. v. 14. seq: C. 8. v. 1. seq. Gal: 5. v. 16. seq: *Natura ut sic, indifferens est, nec bonorum principium, sed eorum, quæ ad utrumq́, se hasè, nec malorum principium, sed eorum, quæ ad utrumq́ se habere possunt. Vt corrupta & spurcata Natura est, sic mala edet, ut errores, rixas, seditiones, vitia: Vt in se adhuc recta, luminosa, ex creatione in homine residua est, sic index honestorum, lumen verorum, & fundamentum bonorum in vitâ humanâ etiam apud gentilem esse potest.* ut C. 1. t. 5. seq: *patuit* Conf. Cap. 3. t. 3.

5. In rebus spiritualibus, Theologicis, & foro superiori coram Deo omne vel a carne vel Spiritu est, nihilq́; hîc medii est. In civilibus & foro inferiori multa media in homine sunt, ut loqvi, canere, ratiocinari, moveri, edere, bibere, dormire, crescere, generare, ædificare, destruere, naturæ opera inqvirere, *contemplari, Philosophari, Theologisare, Medicari, Iuridicari, Mechanica exercere, Peregrinari, rusticari, civilia tractare, & similia. Hæc propriè indifferentia sunt, spiritualiter nec sancta præcisè, nec carnalia. 7.* Vanitas filij hominum, Mendaces filii hominum in stateris, *ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum.* Ps: 62. v. 10. *Et omnis homo* men-

mendax, Ps. 116. v. 11. *E. & impiorum dicta de Deo falsa.* R. Non seqvitur. Ps. 62. *non esse in hominib: confidendum docetur, qvòd fallaces & dolosi illi, & juvare sæpè non possint, aut non velint. Non inde qvicqvid etiam ex naturali notitiâ illi dicunt, falsum esse consequitur.* Ps. 116. *homo mendax dicitur, h. e. ad mentiendum pronus, non tamen facto semper mentiri cogitur. Sic Cretenses mendaces*, Tit. 1. v. 12. *Nec tamen qvicquid ex naturæ lumine illiq; consonum dicunt, statim falsum esse cogitur.* V. C. 3. t. 3.

6. 8. Si virtutes gentilium etiam splendidas vitia, *& meram coram Deo abominationem vocare licet, qvod ex fide in Christum non fiant, persona agens Deo ingrata sit, & finem debitum, Dei gloriam, non intendant, ut* Patres *clasicè solent, cur non & notitiam eorum de Deo & divinis ex naturâ haustam falsitatem, errorem, & mendacium appellare liceat?* R. Qvia bonum morale ex subjecto agente habet, ut bonum sit & appelletur, *& facilè ex subjecti vitio habere potest, ut malum, corruptum, vel aliqvo modo inqvinatum dicatur:* Verum ex objecto, *cum qvo convenit, veritatem tantùm habet, non subjecto, itaq; in veritate suâ ex subjecti dicentis vitio mutari aut in falsum errorem degenerare neqvit. Sic bis 2. esse 4. verum est, à qvocunq; subjecto dicatur, nec per ejus vitiositatem in falsum degenerare potest.* V. t. 1. 4. 9. Fermè omnes gentiles stultas & erroneas sententias ac leges pro certis veritatibus habuerunt, *ut furta, Polytheian, Idololatrias, scortationes, homicidia, rixas, odia, communionem bonorum & uxorum, qvæ apud varios licita fuerunt, mundi æternitatem aut ex atomis compositionem*, ut Aristoteles & Domocritus, *animæ humanæ mortalitatem, ut* Plinius & Lucretius *somniârunt*, Germani *latrocinia*, Persæ *incestuosos concubitus*, Romani *autocheirias &*

præci-

præcipitia è montibus probârunt. Et multorum præclarorum Philosophorum vitæ merâ spurcitie & impietate plenæ fuerunt, Vt ex Läertio *patet. E. & notitiæ naturales eorum vanæ fuerunt. R. Ista & similia non notitiæ naturales, sed dia*λογισμοὶ *eorum notitiis superfusi & superstructi fuerunt, in qvibus vani ipsi facti sunt, & Dei veritatem in mendacium commutârunt,* t.3. *Ipsum Naturæ lumen Deum unum esse evidenter docet, scortationes, homicidia, rixas, odia, idololatrias, abominanda esse ostendit, vitiis resistendum, non ea occupanda monet, Vt ridiculè isti errores ipsis notitiis naturalibus à Deo ortis & menti inditis adscribantur. Fuerint gentiles impii, spurci, vitiosi, Errones, idololatræ, homicidæ: non beneficio luminis Naturæ, sed congenitæ corruptionis tales fuerunt, qvæ ab Adamo in posteros propagata est. Lumen Naturæ vitiorum index & obex, non promotor esse debet,* t. 4. *Indè & naturaliter sine lege positivâ vitiorum fœditas agnoscitur, & numinis vindicta conscientiâ attestante metuitur.* C. 1. t. 6. 7. *Mundum æternum & animam mortalem paucissimi dixerunt, Et hi Errores Philosophorum & hominum fuerunt, non Philosophiæ, nec luminis Naturæ, eòq; injustè illis adscribuntur. Cætera, qvæ hic moveri solent, ad pugnam Theologiæ cum Philosophiâ pertinent, de qvâ in* Coronide Logicâ & disp. d. cognit. humanâ *pluribus actum.*

7. Ita veritas notitiarum naturalium *fuerit*: Cum mente divinâ conformitas est, *qvâ menti & ideæ divinæ ut primæ rerum veritati & mensuræ etiam correspondent, & ab eâ tanqvam legitimæ approbantur. Sic Deum esse, unum, justum, bonum, veracem esse, primæ veritati, Deo, conformia sunt, eòq; ab eâ approbantur. Qvò qvid magis primæ ideæ conforme est, eò magis verum est. Qvò qvid magis difforme, eò magis falsum & erroneum est. Nec* veritas *in hominum arbitrio aut com-*

commento sita est, ut si illi velint, verum aliquid esse cogatur, ut, nivem esse atram, solem non lucidum, ut Anaxagoras & Protagoras *somniârunt, nec virtutes & vitia opiniones tantùm sunt, ut* Libertini *delirârunt: sed in intellectu divino & rerum ipsarum esse fundamentum immotum habet, qvod verè habent, aut non habent.* Deus *prima veritas in essendo, intelligendo, & volendo est*: Et veritas primæ essentiæ *causa omnis veritatis in cæteris est, qvia ea per essentiam vera est, & errorem aut malitiam admittere non potest, velut Viator si ipsa via esset, nunqvam à viâ aberraret.* Certitudo est, qvà in seipsis immotæ sunt, *nec ab homine immutari, nec pro arbitrio ejus flecti possunt, etsi in incredulo per peccatum, affectuum & perturbationum vehementiam, Diaboli insidias, ac potentiam, prava aliorum exempla, & propriam ascitam malitiam variis dubitationibus ac corruptionibus infestentur, & tenebris involutæ sint. Sic neminem lædendum, bis 2. esse 4. ita in se firmum ratumq́, ut nullâ vi everti aut immutari possit.* Non Dei, *qvia Deus ut essentialis veritas aliqvid suo intellectui difforme concipere & admittere neqvit. Eoq́, nec verum ut non verum sit, velle potest.* Non hominis, *qvia homo Naturæ rerum author non est, sed observator tantùm & inqvisitor, Eoq́ nec ejus potestati rerum veritas subjecta esse potest, qvæ in rebus fundatur, & à primâ veritate, Deo, esse suum accepit. Gentiles qvidem variè in nonnullis interdùm dubitârunt, & delirârunt. Sic* Antonius *de animæ immortalitate dubitabat,* Cic. 1. Tusc. Epicurei *& alij prorsùs eam negabant.* Democritus, Leucippus & alij *Deum esse negabant.* C. 5. t. 9. *Inde rei ipsi incertitudo nulla infertur, certissima enim à distortis ingeniis in dubium vocata sunt.*

8. Deo complacentia est, *qvà ut primæ veritati conformes*

formes etiam grata ei sunt, & affectui divino placent. Verum enim voluntati divinæ displicere neqvit, ut falsum & erroneum ei placere non potest. Ordo earum est, *qvà & inter se ordinatæ sunt, ut theoreticæ non sint practicæ aut organicæ, vel vicissim, sed distinctæ maneant, & ad cœteras notitias spirituales ac civiles certum ordinem ac respectum obtinent, ut* partim *principiorum,* partim *instrumentorum usum in illis obtinere possint.* Civilibus *principia sunt, unde disciplinæ liberales & mechanicæ manârunt, qvæ ab homine inveniri, constitui, & excoli non potuissent, nisi notitijs qvibusdam naturalibus exactè instructus fuisset.* V. C. 4. t. 4. Spiritualibus *instrumenta sunt, qvorum beneficio* partim *ad Deum cognoscendum & revelationem ejus ultrà inqvirendam homo manuducitur,* partim *spiritualia objecta ex suo principio, in qvo proponuntur, Scripturâ, eruuntur, animadvertuntur, repræsentantur, & alijs communicantur. Qvæ fieri non possent, nisi homo lumine naturali notitiæ cujusdam præditus esset. Nec Scriptura brutis est data, nec bruta sensum verborum, phrasium, materiarum, inqvirere, scrutari, eruere, invenire, interpretari possunt, qvia bruta sunt, omniq́; cognitione intellectivâ destituuntur.* C. 2. t. 3. *Nec id facere jussa sunt, quod hominibus injunctum.* Joh. 5. v. 39. Deut. 6. v. 6. 7. 8. Col. 3. v. 16.

9. Dignitas earum est, qvà in seipsis præstantis Naturæ sunt, *ut omnis notitia intellectualis præstabile qvid est, tanquam radius aliquis divinæ mentis in hominis animam, implantatus, & reliquiæ ex re præstantissima in homine sunt, imagine divinâ, quam rem dignissimam fuisse certum est, & nobiles ac egregios effectus in homine edunt, cognitionem Dei & naturæ naturalem, quà homo ad Deum Creatorem & Servatorem ultrà inqvirendum, agnoscendum, & colendum manuducatur;*

tur, t. 11. 12. Jucunditas est, qva magnâ hominem voluptate perficiunt, *ut notitiæ, qvæ naturaliter animum humanum perficere solent, cum & homo naturâ scire desideret,* 1. Meta. c. 1. *Et ingenio non distorto aut barbaro aliqvid incognitum de novo cognoscere, eruere, ac addiscere, summam cognoscendi voluptatem adfert. Qvod in theoreticis, practicis, & organicis notitiis literati experiuntur. Nam* & *objecta rerum sunt pulcra:* Et *modus cognoscendi est certus, distinctus:* Et *finis cognitionis honestus ac egregius est, perfectio hominis naturalis, & ad spiritualia manuductio, qvæ voluptatem ut comitem secum trahere necessum habent.* Conf. Aristotelem 7. Eth. C. 13. & 16. Et 10. Ethic. c. 4. & 7.

10. Ita absolutæ perfectiones *ratione* qualitatis *fuerint:* Ratione quantitatis sunt, qvæ magis *qvantitatem earum concernunt.* Ut universalitas seu generalitas, *quâ omnibus omninò hominibus insunt, ut nullus illis careat aut instructus non sit. Etsi in uno citius & meliùs se prodant, in altero tardiùs & difficiliùs, in qvibusdam prorsùs suffocentur.* V. C. 1. t. 17. *Sic* γνωστὸν θεοῦ *in omnibus gentibus manifestum esse, Deumq; illis manifestasse* Paul. *ait* Rom. 1. ℣. 19. *Et legē in cordibus eorum scriptam dicit,* C. 2. ℣. 15. *Qvæ autem cordibus hominum à nativitate inscribuntur, omnibus inscribi solent, & sic universalia sunt. Sive ut habitus connati, sive ut dispositiones aut potestates se habeant.* V. C. 2. *Satis est, connata esse & omnibus omninò hominibus sic inesse. Sic enim quæ naturâ connata sunt, omnibus insunt, ut facultas intelligendi, loquendi, ridendi, flendi, peccatum originale, &c.* Etsi operationes *eorum in nonnullis ob impedimenta incurrentia tardius & difficilius, in aliis promptiùs se proferant.* Idem de acqvisitis notitiis *procedit, quæ in omnibus rationis usum habentibus ex intuitu creaturarum*

rum esse possunt. Etsi in multis per pravitatem & ascitam socordiam supprimantur, ne in operationem exeant. V. C.1.c.l.

11. Respectivæ affectiones sunt, quæ ex respectu ad aliud aliquid illis insunt, ut necessitas & utilitas. Necessitas est, quà homini & absolutè & respectivè illæ necessariæ sunt. Absolutè, *qua homo absolutè in se est & spectatur, tanquam animal rationale. Ita necessariæ ei ad cognitionem & civilem & spiritualem sunt.* Civilem, *ut theoreticis, practicis & organicis rebus, aut in mechanicis & illiberalibus scibilibus cognitionem sibi comparet.* Spiritualem, *ut ad spiritualia & supernaturalia scibilia se per gradus ex naturalibus sumptos præparare, & attollere queat, ut ex notitiâ Dei naturali in ulteriorem Dei ejusq; cultus inquisitionem, deprehensionem, & apprehensionem deveniat,* t. 12. Respectivè, *quà homo in collatione cum alio spectatur, ut animal sociale, & alteri convivere debet. Sic societatis Oeconomicæ & Politicæ fundamenta, agendaq; & fugienda in illis ex Naturæ lumine sumuntur, externa disciplina ac pax Politica per illud servatur, aliqua religio ac cultus de Deo inter homines instituitur & exercetur, & negligentia ac malitia Barbarorum religionem omnem rejicientium ex eo arguitur, & inexcusabilis redditur, Respublica, Oeconomia, & familia domestica instituitur, administratur, & defenditur, scelera insignia agnoscuntur & puniuntur, virtutes homileticæ, officiales, aliaq; publica munera excoluntur & præmiis afficiuntur, artes liberales addiscuntur, studia foventur & promoventur, opificia ad necessitatem, & utilitatem, & voluptatem vitæ facientia exercentur & conservantur, &c.* V. C.6. t.10.

12. Utilitas est, quà multiplicem usum & fructum eædem homini tàm absolutè, ut animal *rationale est, quàm* respectivè, ut animal sociale est, *spectato conferunt.* 1. Testimo-

monium *de Deo rebusq́ divinis, ut justitiâ, æternitate, potentiâ, veritate, providentiâ Dei, præbent, quæ omnia naturaliter sunt cognita.* 2. Hominem *à brutis discernunt, in quibus istarum notitiarum nihil est.* 3. Principia theoretica, practica & organica *artium liberalium suppeditant, quæ omnia ex notitiis naturalibus ut fundamentis extructa sunt. Et sic hominem artes invenire, docere, discere, excolere, seq́ & alios perficere docent.* 4. Fontes legum Politicarum omnisq; justitiæ & ordinis in societate humanâ ostendunt, *& externam disciplinam ac pacem politicam conservari faciunt. Et sic velut oculi mentis sunt, quibus honesta & turpia discernantur*, t. 11. 5. Ad quærendum Deum, *quem naturâ notum faciunt, cultumque ejus investigandum instigant.* Act. 17. ℣. 27. *Et sic impedimenta quædam Conversionis removent, & viam aliquam ad conversionem pandere possunt.* V. Tract. d. Convers. C. 9. t. 17. 22. *Unde gentiles, quòd notitias suffocarint aut horrendè corruperint, inexcusabiles facti sunt.* V. C. l. C. 3. 5. 6. Conf. t. 13. 6. *Ad glorificandum Deum inducunt.* Actor. 17. Rom. 1. *Pluribus hæc deducta apud* Joh Arndt in l. 4. de ver. Christianismo, Schröderum d. nat. Dei notit. C. 2. s. 2. *aliosq́ vide.* 7. Judicium rectæ rationis *informant, ut appetitus regatur, horrenda scelera vitentur & eradicentur, & externus civilis honestatis cultus introducatur, approbetur, observetur, præmiaque benè, supplicia malè agentibus irrogentur.* 8. Proprio hominis judicio *coram Deo hominem inexcusabilem reddunt, ut propria conscientiâ revincatur, quòd qui Deum justum & veracem agnoverit, nec ut talem glorificârit, morte dignus sit,* Rom. 1. ℣. 20. 32. *Lex naturæ justi honestiq́ index est, illud præcipit, & præcepti transgressorem accusat, factorem compensat. Itaq́ homo contra iudicium istud inhonesta, quæ fugienda novit, arripit*

pit & perpetrat, eoq́; excusationem non habet. Simile exemplum in Iudæis est, qui excusationem de incredulitate non habebant, quia clarè veritas fidei illis à Christo annunciata erat, Ioh. 9. ℣. 41. C. 15. ℣. 22.

13. Dices 1. Notitiæ Naturales non sufficiunt ad salutem aut conversionem hominis, t. 16. *E. Nec hominem inexcusabilem reddere possunt. Cum enim aliquis non media ad finem sufficientia habet, nec de fine non assecuto inexcusabilis reddi potest. Et qui notitiam salutarem Dei non habet, aliquem suæ impietatis prætextum habere potest.* ℞. Negatur Consequentia. *Non ideò inexcusabilis est, quòd per eas uon salvatus fuerit, quod fieri non debuit: sed quòd illis ad ultrà inquirendum, inveniendum, & glorificandum Deum usus non fuerit, quod si fecisset, ad notitiam Dei salvificam devenisset & salvari potuisset: Et deindè quòd cum Deum ex Naturâ cognoverit, non tamen ut Deum glorificaverit, nec, quomodo glorificari debeat, inquirendum putaverit: Sed ipsas notitias in sese rectas & justas ad horrenda scelera, idololatrias, & impietates detorserit,* t. 11. Confer Tract. de Convers. C. 3. t. 15. *Nec qui notitiam salutarem Dei non habet, aliquem impietatis suæ prætextum habet. Sufficit enim, quòd aliquam notitiam habeat, unde ultrà inquirere debet, annon specialior Dei revelatio detur, ac ubi & qualis ille sit, sic ad famam de Ecclesiâ deveniret, & ultrà ad veram Dei cognitionem, & consequenter ad salutem procedet. Quæ cum neglexit, inexcusabilis est.* Vid. c. l. C. 6. t. 12. 2. Notitia naturalis *in gentili est langvida, fluctuosa, infirma, obscura, variisq́; perturbationibus & dubitationibus subjecta*, t 7. *E. ad inexcusabilem eum reddendum non sufficit.* ℞. Non seqvitur. *Etiam langvidum & obscurum inexcusabilem reddit, Si ad firmius & clarius inquirendum & inveniendum hominem*

manuducere possit & debeat, & homo proprio contemptu id negligat. Omne enim talentum concessum, si suffodiatur, inexcusabilem reddit. Matth: 25: ℣. 27. *Et ignorantia crassa, affectata, & spontè attracta excusationem non habet.* Arist: 3: Eth: c: 1. *Notitia naturalis suscitamento esse debuit, ut homo studiosiùs de vero cultu illius Dei inquireret, quem ex Naturâ agnoscebat. Sed gentiles susq; deq; hæc habuerunt, &* tàm omittendo, qvàm committendo *gravissimè peccârunt, ut* c. l. t. 12. *dictum, Quod in gentili dubitationibus subjaceat, vitio gentilis & subjecti fit, in se satis certa & immota est. Sic Deum esse apud atheas dubitationibus subjectum. In se tamen immutabile est.* t. 7.

14. *Variè circa hunc Notitiarum Naturalium usum peccatur* & defectu, & excessu. Defectu 1. Ab illis, *qui planè nullum eum esse putant, & notitias naturales in totum negant, ut* Athæi, Epicurei, Photiniani, aliiq;. V. c. l. 2. Ab illis, *qui notitias naturales in impiis falsas Deoq; abominabiles dicunt, ut* Hoffmannus & alii, v. c. l. *Hi consequenter usum notitiarum istarum, in impiis negabunt. Falsorum enim pravorum, & distortorum usus nullus esse potest. At & gentibus magno ipsis ad quærendum & inveniendum Deum usui esse debuerunt,* t. 11. 13. 3. Ab illis, *qui Christiano illicitum putant, gentilium scripta legere, aut civilem prudentiam ex illis haurire, &* Terentium, Ciceronem, Senecam, Tacitum, Horatium, Plautum, *prorsus relegandos censent, tantùm Scripturam proponendam & tractandam volunt, ut* Anabaptistæ, Fanatici, *inter quos* Bunmannus quidam **im Offe. bahr. Göttlich Majestet**, l. 6. t. 6. *Quibus favere videtur* Jus Canonicum d. 37. c. 1. 7. Etsi C. 8. *in partem limitetur, &* Sigonius præf: in hist: sacram Severi, *itemq; ex parte* Trisius in resp. c. Scherdingerum, *qui synchronismis gentilium cum sacra historia conferendis*

rendis iniquior est, p. 22. aliiq;. Cum tamen Mosen & Danielem cum sociis gentilium artibus instructos fuisse sciamus, Act. 7. ℣. 22. Dan. 1. ℣. 17. & Paulus multas sententias ex gentilibus citet, Act. 17. ℣. 8. 1. Cor. 15. ℣. 33. Tit: 1. ℣. 12. Patres vetusti, ut Origines, Basilius, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Lactantius, aliiq; egregiè in gentilium scriptis versati sint, ut scripta eorum docent, eleganterq; Basilius ad nepotes suos, Ethnicorum libri legendi sunt, quia aut dicunt eadem cùm Scriptura, & tunc valet consensus, aut non dicunt eadem, & tunc valet Collatio: Et cultura luminis naturæ tàm apud gentiles, quàm Christianos viguerit, undè quæ ex eo egregiè observârunt & tradiderunt illi, ad usum suum æquè licitè à Christiano adhiberi possint, ac si in sacro Scriptore id repe- rirent. Verum enim & bonum undecunq; ad usum desumere licitum est. Veritas etiam fidei Christianæ confirmetur, si illi consona gentiles tradidisse ostendatur, ut Mornæus de Verit: Christianæ fidei aliiq; faciunt. V. c. l. t. 9. seq.

15. Excessu etiam variè hic peccatur 1. Ab illis, qui per notitias naturales gentiles salvari potuisse, & quosdam salvatos esse affirmant, quod nonnulli ex Patribus faciunt, qui usum notitiarum istarum nimis latè extendunt, ut Irenæns, Tatianus, Iustinus, Athenagoras, Theophilus, Clemens Alexandrinus, Origenes, aliiq; apud Vossium lib. 4. Hist: Pelag. p: 1. th. 12. seq: Casaubonum & Montaccutium ad Ann: Baron: ex: 1. s. 1. Nonnulli ex Papistis, ut Andradius l. 3. Expl. Concil: Trid: p: 292. Quem excusare nititur Bellarminus l: 5. de libero arbitr: C. 13. Quòd non per solam Philosophiam id gentes potuisse ajat, sed lumen divinæ gratiæ necessarium fuisse asserat: Sed valde infirmè, cum Andradius expressè fidem, quâ salvemur, non ex sacris literis tantùm, sed ex il-

illis etiam rebus, quæ ſenſibus ſubiiciuntur, haberi poſſe ſcribat, durumq́; ac immanem eum ſtatuat, qui aliter ſentiat, ac validè Chemnitium *inſectetur, quod id ut erroneum in Patribus quibusdam notaverit*: Pererius d: 18. in cap:1. Rom. Monachus aliquis Franciſcanus in Concil. Trident. apud Sleidanum l. 23. hiſt. Eraſmus in præf. ad Tuſc. Cicero. Et Colloquio religioſo, Alius quidam, *qui defenſionem Ciceronis ſcripſit, eumq́; ſanctum & Chriſtianum facit, qui peccata ſua agnoverit, ap.* Manlium p. 460 Collectan. Vega l. 6. in Conc. Tridentin. c. 20. 21. Dom. à Soto l. 2. d. nat. & grat. c. 11. *Etſi in alterâ editione correxerit*, Anonomus aliquis Papiſta in Oratione de Ariſtotele *Salvato Anno* 1509. *editâ*, Joh. Barclajus in Paræneſi Romæ permiſſu Magiſtri Palatii & vices gerentis edita, l. 1. C. 1. Juſtinianus Jeſuita in C. 1. Rom. v. 20. *Qui ex doctiſſimis in Galliâ viris eandem ſententiam ſe audiviſſe addit*, aliiq́;. *Et utramq́; ſententiam probabilem cenſet* Caſalius, *Nec certi quidquam ab Eccleſiâ deciſum eſſe ait* in libro d. quadripartitâ hominis juſtitia: Ex Reformatis Zvinglius in Expoſit. fidei ad Reg. Galliæ, *Quem peculiari Apologiâ defendit* Gualtherus, *Et peculiari encomio ac præfatione ſcripto iſti præmiſſâ commendat* Bullingerus, *variisq́; modis ac rationibus defendunt* Pareus C. 28. Irenici, Toſſanus con. Marbachium p. 380. Rivetus in Pſal. 19. ℣. 7. Vedelius lib. 1. Ration. Theolog. c: 9. Capellus l. 1. Vindic. Cauſabon. C: 1. Montanus cont. Behmium p. 5. 6. *Qui ſimul in omnibus fermè Noſtrorum ſcriptis cramben hanc ſexcenties recoctam reponi conqueritur*, Tigurini in Conf. Germ. c. Lutherum Ann. 1545. Lavaterus, aliiq́;. Quas defenſiones inſufficientes eſſe Mentzerus, Siguartus, Hutterus, Behmius, Muſæus, Gerhardus, Affelmannus, aliiq́; *oſtenderunt*,

ſatiusq́;

satiusq; à tàm profanis opinionibus abstinetur, quàm eæ foventur & incrustantur. Factoq; idipsum statuunt Hardenbergius ap. Hutterum zenic. C. 28. Sohnius Exeg. Aug. Conf. p. 428. aliiq;, Embdenses con. Hunnium, Berlinenses contrà Hoëum, *Contradicentibus tamen è Reformatis* Bucero, Oecolampadio, Beza, Maconio, aliisq;, & variis hypothesibus *eorum idem impugnantibus, ut, perpetuam fidei cum verbo relationem esse, fidem ex auditu esse*, V. Chamier. T. 3. Panstrat. l. 12. Cap. 3. 9. *Ex absolutâ Dei electione manare, solorum electorum propriam esse, & quæ similes sunt.* Ex Arminianis omnes illi, *qui gratiam quandam generalem extra verbum Dei gentilibus tribuunt, quâ ad Deum illi converti, & sic salvari potuerint, de quibus* Tractat. de Conversione Capite 3. t. 10. *dicam, etiam huic sententiæ affines sunt.* Ex Photinianis Socinus in Epist. p. 591. *nihil hac de re decidi posse ait, sed divinum arcanum Deo notum ejusq; arcano consilio penitùs relinquendum esse.*

16. 2. Ab illis, *qui per notitias naturales igniculos & media ad conversionem hominem in se habere ajunt, ut* Asuverus, *de quo* Tract. de Conversione C. 9. t. 22. dixi. 3. Ab illis, *qui generali cultu & lumine Naturæ Deo præstito Deum placari posse censent, ut vitâ æternâ aliquem extra Christum donet, unde & virtuosis gentilibus, ut* Senecæ, Socrati, Aristoteli, Epicteto, *aliisq; salutem promittunt, ut* Puccius in assertione Catholicâ Anno 1592. *edita, &* Pucciani, Postellus, & *similes.* 4. Ab illis, *qui universam piè & beatè vivendi rationem, si Biblia deessent, ex* Ethicis Aristotelis *desumi posse delirant, unde Ethicam* Aristotelis *pro Concione magno auditorum concursu & studio explicatam esse* Melanchton *refert* apud Manlium in Collectan. pag. 495.

Et

Et Ecclesiam de Deo doceri omissis Bibliis ex Philosophiâ & Ethicis Aristotelis posse quidam Theologiæ Doctor Stutgardiæ dixit, ut idem p. 478. *narrat.* Alius *quidam Licentiatus post amissos libros Propheticos & Apostolicos Evangelii doctrinam ex Ethicis Aristotelis reparari posse dixit,* Idem p. 496. 5. Ab aliis, *qui nimium scripta gentilium extollunt, versant, legunt, & quibus sacra præ illis sordent, ut se Latinitatem inde didiscere dicant, & in Epistolas Pauli commentari nugas gravi viro indignas censent, Odas* Pindari *ac* Horatii *Davidis Psalmis præferant, magnitudinem Romanam admirentur, spiritualem & Ecclesiasticam contemnant, & omninò sapientiam mundi sapientiæ cœli præferant, quales olim inter Scribas & Phariseos ac gentiles multi fuerunt, ut ex* Matth. 11. ℣. 16. seq. Act. 17. ℣. 17. seq. 1. Cor. *1.* ℣. 18. seq. C. 2. v. 4. seq. *patet: Nostris temporibus* Bembus, Machiauellus & Machiauellistæ, Herm. Barbarus, Angelus Politianus, & Critici *interdum sunt, de quo* Melander T. 1. Iocoser. C. 134. 135. 149. Lansius Orat. con. Italiam, Alstedius Ethic. 1. C. 4. aliiq; *videantur.* 6. Ab illis, *qui Deum lucem Spiritus S. sui per duas divinas disciplinas, Logicam & Metaphysicam in mentibus hominum accendere velle docent, ut* Keckerman. l. 1. Theol. C. 4. *Et qui eum defendunt, ut* Massonius in Anatom. p. 397. Et in Victor. Anatom. Vedelius l. 1. Rat. C. *15.* Lud. Crocius Vindic. Aug. Confess. d. *1.* & alii. *Quorum defensiones insufficientes esse* partim *locorum inspectio*, partim *variis vocum abusus in lumine Sp. S. docent, pluribusq;* Wellerus c. Massonium & l. Martini d. *12.* d. princ. fidei & d. *1.* Colleg. Antical. t. 4. seq. aliiq; *ostendunt.*

De effectis & ſpeciebus notitiarum naturalium.

THESIS XVII.

F*Alſa hæc Vniverſa patet* 1. Quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. ℣.6. *E. magis impoſſibile erit ſine eâ ſaluari. At undè in gentilibus fides, cum verbum, ex quo fides*, Joh.17.℣.20. Rom. 10. ℣.17. *aſpernati fuerint?* 2. Quia *nemo venit ad Patrem, niſi per Chriſtum, qui eſt via, Veritas, & vita.* Joh. 14. ℣ 6. *Et in eo vita æterna, ut Pater ille Chriſti, & quem ille miſit, Jeſus Chriſtus, cognoſcatur.* Joh. 17. v. 3. *Nec extra Chriſtum in ullo nomine ſalus eſt.* Act. 4. ℣. 12. *At Chriſtum non noverunt gentiles, nec admiſerunt.* 3. Quia *qui non crediderit in Chriſtum, condemnabitur.* Marc. 16. ℣. 16. Joh. 3. v. 18. *Gentiles autem in Chriſtum non crediderunt.* 4. Quia *non habet Deum in cœlis Patrem, qui non habuerit Eccleſiam in terris matrem. Hæc enim Deo filios ex aquâ & Spiritu regenerat.* Joh. 3. ℣. 3. *Sed gentiles extra Eccleſiam Chriſtianam fuerunt, nec ex aquâ & Spiritu renati fuerunt.* 5. Quia gentiles *non habuerunt ſolatium de ſuis defunctis, ut Chriſtiani, eoq́; modum in lugendo exceſſerunt.* 1. Theſſ. 4. v. 13. *Sed ſi ſalvati fuiſſent, aut ſalvandos ſe ſperaſſent, omninò ſolatium habuiſſent.* 6. Quia *nemo ſalvatur, niſi ſpiritualiter Chriſti carnem comederit, & ſanguinem ejus biberit*, Joh. 6. ℣. 53. ſeq. hoc eſt, *in eum crediderit*, ℣. 17. *At Chriſtum ſpiritualiter gentiles nunquam comederunt aut biberunt.*

Reſp: JOHANNE KNÖBELIO, Neoſolienſ. Pannon.

18. *Habent, qui pro gentilium salute pugnant, varias rationes, quibus se tueantur, quarum nonnullæ pro pleniori materiæ luce resolvendæ erunt.* Dices 1. Gentes naturâ, quæ legis sunt, faciunt, Rom. 2. ℣. 14 *Sed factores legis justificabuntur,* Jac. 1. ℣. 25. *E. & gentes.* R. Factores legis *justificabuntur, sed qui* plenè *servant, ut nec in minimo offendant. Secùs in uno offendens omnium reus est.* C. 2. ℣. 10. *Sed ita gentes legem non servârunt, cum Christianus ea servatu impossibilis sit.* Rom. 7. ℣. 14. seq. C. 8. ℣. 3. *Sed* τὰ τοῦ νόμου, *hoc est, aliqua legis, externam pædagogiam & honestatem præstiterunt, non autem totam legem servârunt.* V. C. 1. t. 5. *Et sine fide ista opera Deo placere non potuerunt,* t. 16. *Minus salvari.* 2. Deus injustus & crudelis erit, *si gentes ob inopiam fidei damnet, cujus media habere non potuerunt. Sed hoc Deo adscribi non debet. E. & sine fide gentiles salvavit.* R. Potuerunt gentes media *fidei habere, si notitiis naturalibus ad ultra inquirendum Deum rectè uti voluissent, & non potiùs omittendo & committendo variè peccare maluissent,* V. t. 11. 12. *Cum id non fecerint, rectè fides illis negata fuit: Et quorum majoribus justè Deus verbum abstulit, eorum posteris idem restituere jure non tenetur.* V. Tract. d. Convers. C. 6. t. 8. 9. seq. *Ita nec crudelis nec injustus est, quod eos, qui fidem non habent, damnationi subjiciat.* 3. Quisq; *suo sensu abundet.* Rom. 14. ℣. 5. E. *& in notitiis naturalibus gentili ad salutem satis esse potest.* R. In Græco est firmus, *persuasus, & solidus sit, ne hinc inde opinionibus vagetur, sed certus sit, verè se sentire, bonâq; conscientiâ ea in adjaphoris, escis, die festo, agere posse, quæ agit. Nihil hoc ad fidem vel cultum Dei, quasi quâvis notitiâ & cultu Dei homo salvari possit.*

19. 4. Apostoli in aliorum labores successerunt, & *messuerunt*, Joh. 4. ℣. 38. *E. gentes per Philosophiam jam ad officium Apostolorum velut præparatæ fuerunt.* R. Non sequitur. *Prophetæ & Doctores Vet. Test. intelliguntur, qui de venturo Christo prænuntiârunt*, 1. Pet. 1. ℣. 12. Act. 10. ℣. 43. *Quem exhibitum Apostoli prædicârunt*, Act. 2. 3. 4. 10. *Et post quorum prænuntiata Apostoli successerunt: Non Philosophorum præparationes ex Naturæ lumine sumptæ, qui interdum magis se & suos adversus fidem animârunt & indurârunt, quàm ad eam præparârunt, unde à* Tertulliano *& aliis hostes Apostolorum & Patriarchæ hæreticorum appellantur*, V. Coron. Logic. t. 33.

5. Potentiam Dei *etiam gentiles cognoverunt.* Rom. 1. ℣. 20. *Sed Christus est Dei potentia.* 1. Cor. 1. ℣. 24. *E. & eum gentes cognoverunt, & sic salvari potuerunt.* R. Potentiam Dei cognôrunt gentiles, *sed quà in Creatione, creaturis, & providentia se spectandam exhibet*, Rom. 1. ℣. 20. *Christus autem est potentia Dei, quà in hominis reparatione se exhibet, quæ abscondita à seculo in Deo est sapientia, & novissimè per Christum ipsum & Apostolos demum planè manifestata*, Rom. 16. ℣. 25. 26. Ephes. 3. ℣. 5. 9. Colos. 1. ℣. 26. *Quam sapientiam Nemo principum hujus seculi ex naturâ agnoscere potuit*, 1. Cor. 2. ℣. 6. 7. 8. *Nec Christus redemptor & mediator venire necessum habuisset, si non peccatum per apostasiam hominis in mundum introiisset. Qualia* ex naturâ *gentilibus non innotuerunt.*

20. 6. De justitiâ fidei utitur Paulus voce λογίζεσθαι, *quod & per rationem aliquid colligere, deducere, concludere, ratiocinari, est*, Rom. 3. ℣. 28. E. *& hanc justitiam per rationem colligere potuerunt gentiles, sicq; ea salvari potuerunt. R.* λογίζεσθαι *non est tantùm ex principiis solius Naturæ & rationis aliquid colligere, sed* generaliter ex quibuscunq; principiis

& fundamentis, *etiam supernaturalibus, divinis, & in Scripturâ revelatis aliquid deducere & colligere, Et sic de justitiâ fidei colligit* Paulus, *quòd ex fide oriatur, non operibus, ex fundamentis, quæ in isto capite antea produxerat, ut quòd totus mundus peccati coram Deo reus sit, justitia coram Deo valens fidei à Prophetis adscribatur, Christus verum coram Deo propitiatorium sit, & similibus, sed quæ* ex Scripturis *desumpsit, non Naturæ notitiâ hausit. Ratione interveniente etiam in sacris materiis aliqua deducimus, colligimus, & consequentias formamus, judicamus: sed res ipsas ex Scriptura desumere cogimur.* V. t. 8. Et Tract: d. Contradict. s. 1. t. 5. 6. 7. Samaritani adorare dicuntur, *quod nescierunt*, Joh. 4. ℣. 22. *Et Athenienses ignoto Deo aram extruxerunt*, Act. 17 ℣. 23. E. *& coli Deus potest, etiamsi ita specialiter ex verbo non cognoscatur. Et sic ab Ethnicis factum.* R. Potest qualitercunq; Deus coli, t. 11. *Verùm ut iste cultus genuinus sit, verè Deo placeat, ad salutem homini prosit, inde nondum consequitur. Deum enim cultu ab ipso non præscripto colere, magis Deum irritare, quàm placare est*, Deut. 32. ℣. 16. 17. seq. Psal. 106. ℣. 36. seq. Jer. 2. ℣. 3. 4. seq. & passim, Ephes. 8, ℣. 5. seq. *Nec tali modo cultuq; generali homo unquam salvabitur. Extra Christum enim nulla salus*, t. 16. *Et qui extra Christum Deum invocat, non in spiritu & veritate, adeoq; non verè eum invocat.* Joh. 4. ℣. 23. 24. Cap. 16. ℣. 23. Matth. 6. ℣ 7. seq. *Eoq; nec exauditur, nec salvatur.*

21. 8. *Vniversâ creaturâ prædicandum est Evangelium, h. e. per eam. Ablativus enim instrumenti intelligitur*, Marc. 16. ℣. 15. *Sed per creaturas etiam prædicationem habuerunt gentiles.* R.

Non

Non Ablativus instrumenti, *sed Dativus subjecti ibi intelligitur*, cui *prædicatio fieri debuit, omni creaturæ, nobilissimæ nempè inter corporeas, h. e. omnibus gentibus,* ut Matth. 28. ℣. 19. *explicatur, & complementum ipsorum Apostolorum ostendit, qui hominibus in universâ terrâ prædicaverunt,* Marc. 16. ℣. 20. Luc. 24. ℣. 47. Act: 1. ℣. 8. Cap. 2 ℣. 22. seq. Cap. 3. ℣. 5. seq. Cap. 10. ℣. 34. Cap. 11. ℣. 19. seq. Cap. 13. ℣. 14. seq. *& passim,* Rom. 10. ℣. 18. Cap. 18. ℣. 19. *Non per creaturas, ut media prædicationem suam conformârunt.* 9. Cultus Dei λογικὸς esse *jubetur,* Rom. 12. ℣. 1. *E. ex ratione satis exstrui & ad eam conformari potest. Sed rationem diligentissimè excoluerunt gentiles.* R. λογικὸς dicitur, *non quòd ex nudâ ratione ejusq; lumine exstructus esse debeat, sed quòd non prorsus illi contrarius, & Naturæ etiam lumine abominabilis esse debeat, qualis quorundam gentilium fuit, qui filiorum suorum latrociniis, variisq; impuritatibus Deum coli posse censuerunt. Quod & Naturæ lumen abominabile esse dictat, taliq; modo Deum prorsus non coli posse docet,* t. 15. V. Sapient. 12. v. 4. seq: *Et quòd sincerus ac ex animo profectus esse debeat, non in labris saltem natus ac superficiarius, quo Deus non colitur.* Item *quòd sine mixturâ ac impuritate esse debeat, Quomodo* λογικὸν *interdùm pro sincero & inpermisto sumitur,* 1. Pet. 2. v. 2. 10. Voluntarios cultores Deus diligit, Psal. 54. ℣. 8. Ps. 110. ℣. 3. *E. si ex rationali voluntate componatur Dei cultus, satis erit.* R. Voluntarios, *hoc est, non coactos & invitos, qui non coactè, sed spontaneo motu in præceptis Dei ambulent,* V. Rom. 14. ℣. 27. 2. Cor. 9. ℣. 2. 7. 8. Act. 17. ℣. 11. Sed colendi rationem tamen ad præscriptum dirigentes, *Deut. 4. v. 2. C. 12, s. 8. seq. Verus enim Dei cultus ex præscripto Dei sumendus est.*

 22. 11. *Mul-*

22. 11. Multi Ethnici virtuosè *secundùm rectam rationem vitam instituerunt, unde* Aristidis *justitia*, Scipionis *continentia & castitas*, Socratis *temperantia*, Alexandri *fortitudo nota sunt. Hos damnatos dicere nimis durum est. E. salvati erunt per lumen istud rationis.* R. Ethnicorum Virtutes etsi absolutè ex naturâ sui & in suo genere *moraliter ac civiliter bonæ fuerint, hactenùs etiam Deo placere, ab eo variis præmiis civilibus & mundanis pro servando statu civili compensari potuerint, Christianos etiam Verbi revelationem habentes palàm impiè viventes Ethnicorum contrariis factis ex solo lumine Naturæ præstitis pudefieri, confundi, & inexcusabiles reddi necessum sit:* Quia tamen *accessoriis quibusdam detorsæ & corruptæ fuerunt, ut nec ex verâ vivaq; radice, fide in Christum, per charitatem operosa,* Gal. 5. ℣. 6. *prodierint, nec subjecta coram Deo in gratiâ fuerint, nec ad finem eum, ad quem debuerunt, Dei gloriam, directæ fuerint, nec tali modo & circumstantiis, quibus Deo placere possint, actæ fuerint, multâq; etiam imperfectione coram rigido Dei judicio laborârint, quæ imperfectio per fidem in Christũ in illis tegi non potuit, ut quam non habuerunt, specialiter Deo gratæ, legaliter vel Evangelicè satis bonæ, perfectæ, competentes esse, & sic ad salutem ipsis conducere non potuerunt, etsi minore tormentorũ gradu ob vitam honestè actam in inferno infestandi sint, Cum* Judæi *& Christiani gravioribus subjiciendi sint,* Matth 11. ℣. 20. seq. Luc. 10. ℣. 12. seq. Cap. 12. ℣ 47. 48. *Secùs ac rigidiores quidam* Hofmanniani *voluerunt, ut in* Mall. Imp. Hofman. p. 17. *& alibi videre est, qui sceleratissimo nebuloni tolerabilius ibi futurum dixerunt, quàm honestissimo gentili, &c.*

23. *12.* Multi Patres Græci & Latini gentes per *viam notitiarum naturalium salvari potuisse docent,* Ut Irenæus, Tatianus, aliiq; V. t. 13. *E quibus id* Cinglius aliiq; Reformati,

Papi-

Papistæ, Arminiani, & Pucciani *desumpserunt, ut illis magnoperè id non sit imputandum.* R. 1. Patres sunt lumina, *non numina, nec absolutè eorum sententiis standum, sed quatenus lumini Scripturæ aut Naturæ, principiis cognoscendi Catholicis & immotis congruunt, non contraveniunt, Quomodo* & ipsi *ad hæc principia omnia revocârunt, & sua scripta ex illis censeri ipsi postulârunt, ut ex* Augustini *epistolis* & libris de baptismo *aliisq́; patet, & alibi pluribus docetur.* 2. In hâc materiâ Patres omninò diversi sunt, *nec semper id dicunt, quod Adversarii volunt, nec salutem præcisè gentilibus per solum lumen Naturæ assignant, sed aliud quid, quo ad Ecclesiam, Verbum, & fidem devenire, sicq́; ad specialiorem veri Dei agnitionem deduci, & per eam demùm ac fidem in Christum salvari potuerunt: Nec, si quidam id dicerent, absolutè præscribere haberent. Quod ut* specialiùs ac *dilucidiùs pateat, sequentia circa hanc materiam observanda venient.* 1. Quidam Patres ante Pelagiana certamina vocem gratiæ ita latè acceperunt, *ut & igniculos Naturæ, & quæ ex illis notitiæ haberi possunt, sub eâ comprehenderent, istaq́;* partim *in mentis informatione, quâ Deum ex Naturâ cognitum colendum esse judicatur, aut judicari potest,* Act. 14. ℣. 17. 18. C. 17. ℣. 27. *Partim ejusdem redargutione, quâ Dei cultus incuriosi & factis scelesti morte digni judicantur,* Rom. 1. ℣. 32. *adeòq́; peccatum in Deum agnoscitur, & pœnâ dignum esse justeq́; à Deo vindicari asseritur,* Partim *voluntatis & appetitus inclinatione consistere voluerunt, ut homo aliquando velle possit & velit hoc judicium de colendo Deo sequi, à peccatis liberari, ad bonum duci.* Hi consequenter *gratiam aliquam generalem gentibus extra Verbum fuisse asseruerunt, quâ ad Deum accedere, Eum cognoscere, tandemq́; salvari potuerint. Sed hi modum in dilatandâ divinâ gratiâ excesserunt, Nec vocem gratiæ* ad stilum Scripturæ

usur-

usurpaverunt, & potiùs à tàm laxo vocis gratiæ usu abstinere debuerunt. V. Tract. de Conversione, Cap. 3. t. 3. *Inprimis* Græci *cautè hic legendi sunt, Cum gratiæ participationem extra Ecclesiam nimis extendant, Vt ex* Papistis Aluaretz disp. 22. de auxiliis, num 22. 23. seq. Sixtus Senensis l. 5. Bibliothec. anni 101. Lib. 6. anni 236. seq: aliiq; *non dissimulant.*

24. 2. Patres Deum ex suâ parte paratum esse docent, velle credere omnibus dare, *eoq; in hunc finem dona aliqua omnibus conferre, quæ ad Voluntatem credendi aliquando obtinendam sufficiant. Hoc enim ex Vniversali Christi morte* 1. Joh. 2. *deducunt, quòd pro quibus Christus mortuus sit, eis media ad congregandum se ad Christum deesse non oporteat.* Sed *per gratiam hanc omnes prævenientem non fidem, vel salutem ipsam conferri, sed* duci ad verbum, Evangelium, Ecclesiam, *conversationem Israël,* Ut Prosper l. 2. d. Vocat. gent. C. 14. *loquitur, ut inde ulterior instructio desumatur, sicq; ad fidem & tandem salutem perveniatur.* 3. Hanc gratiam rejici, *& reapse à plerisq; repelli posse, & pulsum gratiæ, quâ Deus invitat, V. g. æquum est, ut quomodo verus Deus à me coli velit, inquiram, admissum rursus abjici, quod ex* Rom. 1. ℣. 18. seq. Et C. 2. ℣. 4. seq. *patet. Sic gentiles famâ de Ecclesiâ* Judaicâ, *doctrinâq; de veri Dei cultu in illâ à Deo donati erant. Eo ad Ecclesiam* Judæorum *invitati fuerunt, ut illi se aggregarent. Sed illi contempserunt, & in idololatriâ suâ perseverârunt.* V. Cap. 4. t. 12. 13. Et Tract. de Convers. C. 6. t. 12.

25. 4. Gratiam istam prævenientem non æquali mensurâ omnibus administrari, *sed aliis pareiùs, aliis largiùs, omnibus in testimonium, quòd per Deum non steterit, nec gratia ipsis defuerit, quòd non omnes ad fidem adducti, & sic credendo*

salvati

salvati sint. V. Prosperum l. 2. de Vocat. Gent. Cap. 6. 10. 15. 16. seq. *Omnes tamen aliquo amore dilecti, & aliquâ gratiâ affecti sunt, ut nullus absoluto odio ab omni gratiâ rejectus sit. Fertùrq; hic amor in homines ex communi corruptione eruendos, non homines post primam gratiam aceptam diversimo dè dispositos, eamq; vel receptam vel repudiatam, sic enim Dei amor quà exercitium diversimodè se habet, & gratiam rejectam vel prorsùs tollit, vel tardè restituit, vel quibusdam pro libero benèplacito relinquit, vel celeriùs amis sam reducit,* ut Cit. Tractat. Cap. 6. t. 8. 9. seq. *dictum.* 5. Multi Patres etiam gratiæ prævientis nominē, *non dona naturæ aut eorum imparitatem, sed* misericordiam quandam in Christo, *ut* Augustinus *vocat, intelligunt, id est, talem, quam respecti meriti Christi eo fine Deus gentilibus præstet, ut illius meriti participes fiant,* V. Prosperum C. l. Cap. 6. *Ac cum de doctis &* Philosophis *gentilium loquuntur, famam de Ecclesiâ, de præcipuis dogmatibus institutionem, vel ex aliorum relatione, vel librorum evolutione haustam, gratiæ revelationem naturæ donis contradistinctam, & Messiæ S. Salvatoris agnitionem præsupponunt,* V. Augustinum Epi: ad Etesiphont. & l. 8. de Civ. Dei, Cap. 11. *Nec quenquam gentilium* sine explicitâ notitiâ Christi *Salvatum assequunt, ut ex variis* Augustini & Hieronymi *locis patet.* V. Vossium l. 3. Hist. Prælag. par. 3. *Dicta etiam scripturæ pro universali gratiâ extra verbum gentilibus suppeditatâ ab* Armi-nianis *adducta ex* 1. Tim. 2. Joh. 1. *similiaq; de gratiâ verbi et Christi, ac voluntate Dei antecedente in Christo fundatâ explicant, ut ex* Augustino de Spir. & lit. Cap. 33. Hieronymo in Cap. 1. Ephes. Damasceno l. 2. de Orthod: fide Cap. 29. Chrysostomo hom. 1. ad Ephes. & 7. in Cap. 1. Joh. aliisq; ,

patet. *Et dicta ipsa talem gratiam non probare*, Cap. l. Tract. Cap. 3 t. 12. seq. *ostensum est.*

26. *Ha* Concilium Arelatense III. *sub* Marciano *partim de eo, qui prædicationem audiit, & suâ culpâ non conversus est, loquitur, partim de pagano, qui acceperit, quò de verâ Ecclesiâ Dei inquireret, in quâ thesauri gratiæ sunt, unde expromuntur.* *Talis per famam Eccesiæ converti potuit, non solâ naturæ cognitione.* Athanasius Serm. de Incarnat. T. 1. p. 45. *Revelationis modos distinguit in statu integro ante legem, sub lege, extra legem, & sub Christo, & per gradus ab aspectu creaturarum ad colloquium cum Patriarchis, ab hoc ad Ecclesiæ Israëliticæ inquisitionem, ab hâc ad doctrinam Christianam procedit. Christi autem cognitionem ex creaturis immediatè hauriri posse negat, eùmq́ modum incertum esse dicit, & ad Christum ac Apostolos Christi facta narrantes tandem decurrit.* Basilius in Psal. 7. *Deum ex conscientiæ judicio convicturum damnados dicit; Sed addit per oppositionem mandatorum suorum.* *Vbi autem damnatis scientia mandatorum Dei opponi potest, ibi* notitiam de lege Dei *antecessisse oportet.* *Et sic Dei instituta illi noverunt.* Chrysostomus hom. 7. in Cap. 1. Joh. *de illuminatione Christi agit, non luminis naturæ, & antecedente Dei voluntate, quâ ex parte suâ omnem non malitiosè repugnantem illuminare paratus est.* Augustinus de vat. & grat. Cap. 37. 67. & alibi *Deum aversos etiam per creaturā vocare ait, ut quærant eum.* *Hoc verissimum.* *Sed inde fidem hominem concipere & salvari posse nondum sequitur.* V. t. 11. 12. Prosper in libris de vocatione gentium. *Communiorem aliquam gratiam ex Naturâ haustam præter verbi revelationem gentibus adscribit, sed expressè addit,* neminem ad plenam Dei cognitionem per eam devenire, ut l. 2. Cap. 17. Et l. 1. Cap. 7. *Sed multos*

tos ab itinere veritatis & vitæ latitudinem erroris & mortis ingressuros esse, ut l. 2. Cap. 29. *Minùs salutem gentibus per naturæ notitiam adscribit.*

27. Orosius in Apologet. c. Pelagium *omnibus generaliter sufficientem gratiam distribui ait, sed ad actus supernaturales, de quibus ait, & exempli loco* Jobum *adducit. Talis autem gratia non sine verbo est, non ex solâ naturâ contingit. Et talem gratiam ultra ingenium & naturam gentilium datam esse, ut cum v. g. ex pietate erga Deum quædam benè operati sint.* Bernhardus l. de grat. & lib. arbitr. *Dum in salutem suorum etiam irrationabili creaturâ uti ait, sed ut eos ad quærendum Deum instiget, quod & ab impiis attendi vult*, V. t. 11. *Sed nondum fidem aut salutem per id gentibus tribuit, & gratiæ adhibitionem à verbo non separat.* Cœterum Patrum *scripta, ut* Dionysii Areopagitæ de hierarchiâ, Cyrilli Catecheses vel suppositiria sunt: Vel *generali Dei intentione* vel *aliquâ gratiâ eruditis gentilibus tributa*, vel *famâ Ecclesiæ ad plerosq́; perlatâ*, vel *grati â prædicationis verbi*, vel *possibilitate saltem rei, non facto*, vel *infantibus quibus æquè ac adultis Deus salutem intendat*, vel *mediis salutis intra Ecclesiam, quæ varia sint*, vel *similire loquuntur, ut ad hanc rem de salute gentilium parum conducant, ut* Origenis, Cypriani, Arnobii, Cyrilli, Hilarii, Greg. Nat. Clementis, aliorumq́; *loca docent.*

28. *Ita* attributa notitiarum naturalium omnia, tàm *absoluta, quàm respectiva, visa:* succedant Effecta, *quæ sunt operationes quædam in secundo momento notitii competentes, & sic à posteriori easdenominantes.* Possuntq́; alia respectu Dei, alia hominis ipsius, in quo sunt, alia proximi, cum quo versatur homo, esse dici. Respectu Dei sunt, *quòd existentiam Essentiam, quòd spiritus sit, non corpus, attributa,*

ut Vnitatem, Veritatem, Justitiam, bonitatem, Jus Dei in homines, quo bona compensare, scelera punire justè debeat & soleat, & effecta ac operationes Dei naturâ cognitas, ut creationem, provisionem, gubernationem, directionem, conservationem, & similia revelent, eaq; Deo verè competere, recteq; de eo enuntiari ostendant, & sic aliquid cognitionis de Deo producant. V. Cap. 3. t. 18. 19. Et Cap. 5. t. 2. seq: Respectu hominis sunt, *quod perfectionem quandam, cognitionem nempè, ei inferant, quâ mens humana naturaliter perficitur,* V. C. 1. t. 3. & C. 2. t. 3. *A brutis, in quibus tales notitiæ non sunt, eum discernant, Dei & divinorum quorundam testimonium ei suppeditent, eum quærere, cultum ejus investigare, & in ventum glorificare, convertendiq; impedimenta aliqua amovere faciant, principiis theoreticis, practicis, & organicis hominem instruant, Virtutum semina, vitiorum retinacula spargant, unde varias praxes morales & organicas totasq; disciplinas homo exstruere possit, intellectum cognitione mundi & rerum mundanarum informent, appetitum coërceant, judicium confirment, & de neglectis aut suffocatis illis coram Deo eum inexcusabilem reddant. Quæ ex attributis earum patent.* V. t. 2. Respectu proximi, *cum quo homo versatur, sunt, quòd justitiam, virtutes homileticas, ut Veracitatem, Comitatem, Vrbanitatem, & placiditatem, similesq; ad hominem exercere faciant, semina societatem, Oecomicæ, Politicæ, Scholasticæ, indant, indeq; societates istas excoli, ac decenter se in illis geri procurent, Ordinem in societatibus servare, prudentes leges, & ad statum accommodatas ferri doceant, verèq; hominem animal politicum esse, & se ut tale in societate exhibere faciant.* V. Cap. I.

CAPUT

CAPUT V.

De divisione Notitiarum Naturalium, & primò de theoreticis.

THESIS I.

ITa & attributa ac effecta notitiarum naturalium visa: Succedant divisiones, quæ sunt earum in modos contractiores & velut species subjectas partitiones, Varietatem earum repræsentantes. Hæ vel à modis, *quibus homini competunt*, vel objectis, *ad quæ se fundunt & circa quæ feruntur*, vel gradibus accidentariis, *quibus subsunt, sumi possunt*. Ex modis quibus insunt, in connatas & acquisitas dividi possunt. Connatæ sunt, quæ à genituræ principio per dispositionem connatam homini radicaliter implantantur, & *menti implantatæ simul homini connascuntur, ut solà naturali facultate, ætate, & usu rationis accedente in cognitionem quarundam rerum sine aliquâ institutione homo seipsum promovere possit*. *Dicuntur etiam* subjectivæ, & internæ. Dari eas *in homine supra* Cap. 1. t. 5. seq. *Ex imaginis divinæ reliquiis, naturali Dei in mente semet ipsam inspiciente notitiâ, gentibus Naturâ duce legem in cordibus scriptam ostendentibus, peccatis naturaliter agnitis, & conscientiæ angoribus in sceleratis etiam potentissimis repertis, aliisq́ rationibus ostensum fuit. Negant nonnulli ex Photinianis, ut* Cap. I. t. 16. *adductum. Sed quia in primis ad Dei notitiam ea vergunt, in istâ specie* t. 2. seq. *uberiorem tractationem sortiri possunt. Per modum dispositionis & luminis in intellectu eas connasci* Cap. 2. t. 26. *dictum. Per eas hominem in ulteriorem cognitionem se naturâ duce promovere posse,* Cap. I. t. 29. *assertum.* Acquisitæ sunt, quæ usu

usu rationis accedente ex inspectione libri Naturæ totiusque mundi, & quæ in eâ observatione, propriâ industria ab homine comparantur, excoluntur & conservantur, ut seipsum & alios homo quotidiè perfectiorem reddat. *Vocantur etiam* objectivæ & externæ. *Dari tales scriptura, communis expientia, & variæ rationes à mundi creatione, conservatione, gubernatione, variorum beneficiorum, collatione, mirabilium eventuum constitutione & aliundè desumptæ docent,* ut Cap. I. t. 9. *adductum. Et quia ad notitiam de Deo pleraq; vergunt, in istâ specie uberiorem explicationem habere poterunt,* c. 2. seq.

2. Ex objectis, ad quæ feruntur, in theoreticas & practicas dispesci possunt. Theoreticæ sunt, quæ circa res naturâ sui à nobis non agibiles, sed tantùm cognoscibiles, versantur. Hæ vel notitiæ objecti simplicis vel complexi sunt. Simplicis, quod per modum termini se habet, & sine integro enunciato absolvi potest. Hoc vel eminentissimi, vel universalissimi objecti est. Eminentissimi, cujus natura nobilitate sui omnia reliqua exsuperat: *Tale quid* Deus *est, cujus notitiam aliquam naturalem esse, & quòd sit, & quid ac qualis sit & quòd colendus sit scriptura & ratione patet.* Scripturâ, 1. Rom. 1. ℣. 19. 20. *Ubi cognoscibile de Deo in gentilibus manifestum esse, & Deum illis revelasse, & invisibilia Dei, ut virtutem & divinitatem ejus factis seu operibus ejus intellecta conspici posse à gentilibus asseritur. Unde arguitur;* Si notitia Dei ita *in gentilibus manifesta est, ut factis & operibus potentia ejus conspici possit, utiq; ex naturæ & operum Dei contemplatione notitia aliqua Dei acquiri potest. Sed prius est, ut* ex Cap. I. *patet. E. & posterius.*

3. *Vi-*

3. *Vident, qui Dei naturalem notitiam negant, ut* Photiniani, V. Cap. 1. t. 16. *Validâ ex textu eam confici. Itaq; variè textum torquent, ut effugiant.* Per invisibilia *ab hominibus non antea cognita, ut ipsa fidei mysteria*, per facta *non creaturas, sed Christi & Apostolorum miracula*, per γνωστὸν θεοῦ *non naturale, sed spirituale ex scripturæ revelatione de Deo & divinis sumptum cognoscibile*, per æternum Dei potentiam, *promissiones Dei nunquam intercisuras*, & per Dei divinitatem *id, quod Deus perpetuò nos facere velit, intellectum volunt, ac sensum textus hunc esse volunt:* Divina fidei Christianæ mysteria, à constitutione mundi incognita, per Christi & Apostolorum miracula manifesta facta sunt, ut & æternæ Dei promissiones & præcepta, ut inexcusabiles simus, si assentiri illis renuamus. *Sed hæc omnia detorta & à textu alienâ esse patet.* 1. Quia Ap. *non de Christianis Evangelium scientibus sed gentilibus illud ignorantibus loquitur, Quod* ex descriptionibus eorum *patet, qui veritatem in injustitiâ detinent*, ℣. 18. *Deum noverunt, sed non ut Deum glorificârunt, gloriam ejus in similitudinem hominis & pecudum mutârunt, incogitatis suis vani facti sunt, Creaturæ magis, quàm Creatori servierunt, in reprobum sensum ob peccata dati sunt, & naturalem usum corruperunt*, ℣. 21. 22. seq. *Qui sine lege positivâ peccârunt, legem talem non habuerunt, ut Judæi, sibi ipsis lex fuerunt, quam in corde scriptam ostenderunt*, Cap. 2. ℣. 12. 14. *Imò qui expressè gentes Judæis contradistinctæ appellantur*, ℣. 14. 17. *At talia in Christianos non quadrant, sed Ethnicos, qui ita describi solent*, Act. 17. ℣. 30. Ephes. 2. ℣. 11. 12. Cap. 4. ℣. 17. 18.

4. 2. Quia Apostoli *scopo id repugnat, qui est gentes & Judæos de peccato ac irâ Dei convincere*, Rom. 3. ℣. 9. *Et ostendere, etiam gentes extra Judæos ad cognitionem Dei ex inspectio-*

spectione Creaturarum devenire potuisse, sed eâ naglectâ ad idolorum cultum deflexisse, eoq́; coram Deo in excusabiles esse. *Judæos autem à* Cap. 2 ℣. 17. *Convincere incipit. E. præcedentibus gentiles convicisse oportuit, Vt* Cap. 1. 3. Quia *absurda ex istâ explicatione nascuntur. Si enim non per naturam gentibus innotuit Deus, non satis in excusabiles esse possunt, quòd non ut Deum glorificaverint. Per famam enim aut Verbi prædicationem multi non acceperunt esse Deum, inprimis antè solennem illam Apostolorum in totum mundum egresſionem, ubi Ecclesia angustis* Judææ *finibus comprehensa fuit. Ast hoc tamen Apostolus expresse affirmant* Rom 1. ℣. 20. 4. Quia *invisibilia ab Apostolo determinantur ad æternam Dei virtutem & divinitatem,* ℣. 20. *Non mysteria Evangelica, aut promissa & præcepta divina, quæ nec ita in sacris unquam vocantur, nec commodè vocari possunt, Nam quæ oculis, aut sensibus humanis percipi non possunt, ita appellari solent. Inter sensum autem objecta, præcepta vel promissa Dei non continentur, quæ intellectus objecta sunt.* 5. Quia promissa *& præcepta Dei ejus potentiam & divinitatem vocare itidem in sacris in auditum est, nec exemplis ostendi potest, nec apud ullam authorem vim vocum istarum ad ista designanda usurpatam esse doceri potest, nec usitata vocum significata id ferunt.* Promissa enim & præcepta *relativa sunt, & à Deo ad nos transeunt, non in Deo sunt & manent : Deitas & potestas absoluta, & in Deo sunt ac manent.*

5. 6. Quia voce ποιημάτων *Christi miracula intelligere similiter in sacris inauditum est, cum creaturæ per eam intelligantur, ut ex* Matth. 19. ℣. 4. Ephes. 2. ℣. 10. *patet, & frequenter à 70. Interpret: in V. T. redditur,* Eccles. 8. ℣. 7. *unde & ποιεῖν per creare vertunt,* Gen. 1. ℣. 1. *Et alibi. Et hoc loco vocem κλίσεως τὰ ποιήματα explicant, quæ omnibus ex*

aspectu

aſpectu innotuerunt. Sed Chriſti & Apoſtolorum miracula omnibus ante Chriſtum non ita innotuerunt, etiam Ethnicis Idololatris, Vt indè inexcuſabiles reddi potuerint, quod hic dicitur, Nec miracula, ſed æternam Dei virtutem & Divinitatem per pojëmata innotuiſſe dicitur. 7. Quia voces ἀπὸ κτίσεως κόσμου docent, qualia ποιήματα hic intelligenda ſint, quæ nempè à creatione mundi facta ſunt, ſi omninò iſta phraſis tempus factorum, non creaturas ipſas notare debeat, ut & ex Reformatis Piſcator, Olevianus, & Pareus volunt, quòd nempè virtus & Divinitas Dei per facta jam inde à creatione mundi perſpicuè intellecta fuerit. At talia facta creaturæ ſunt, non Evangelii miracula. Quanquam vox ἀπὸ etiam ſæpè notat idem, ac ex, Sap. 13. ℣. 3. Matth. 7. ℣. 16. 20. Cap. 24. ℣. 32. Marc. 13. ℣. 28. Et de cognoſcendâ re aliquâ famoſè ita ſumitur: Ac vox κτίσεως pro creaturis etiam frequenter in ſacris ſumitur, ut ita ex creatione Mundi & ex factis ibi divinitas ac potentia Dei innoteſcere dicatur. 8. Quia collectio Apoſtoli, quam educit, de δικαιώματι Dei cognito, quòd ſcelera patrantes morte digni ſint, ℣. 32. ſimiliter poſtulat, ex naturâ & propriâ Conſcientiâ gentibus jus illud Dei innotuiſſe, Cum Verbi revelationem non haberent nec reciperent. De illis ergò per connexionem hic agit Apoſtolus, & conſequenter naturalem Dei cognitionem intendit. 9. Quia Patres & Interpretes Græci ac Latini communiter de naturali Dei notitiâ, quæ ex intuitu Creaturarum per diſcurſum habetur, locum hunc explicant, ut Chryſoſtomus, Ambroſius, Beda, Anshelmus, Dionyſius, Auguſtinus, Bernhardus apud Corn. à Lapide in Rom. 1. ℣. 20. Etſi Anſhelmus & ſupernaturale lumen aliquod intelligat, quo ſe Deus gentibus revelârit. Imò ex ipſis Photinianis Crellius in Cap.

1. Rom. *manifestè Naturalem Dei ex Creaturis cognitionem hic intelligi adstruit, & à cæteris sociis suis discedit.*

6. 2. Ex Act. 14. ℣. 17. *Ubi Deus non sine testimonio gentibus se reliquisse, sed de Cœlo benefaciendo se notificasse, Et* Act. 17. ℣. 25. seq: *Ubi Athenienses aram ignoto Deo erexisse dicuntur. De gentilibus enim uterq; locus loquitur, Ut inspectio docet. Si testimonium aliquod Dei apud Eos extitit per beneficia pluviæ, fructificationis, Cibi, lætitiæ, Et ignoto Deo aram erexerunt, Utiq; quòd Deus esset, notum illis ex naturâ esse oportuit. Ista enim beneficia in Naturâ & ex eâ conspiciuntur. Item si per terminos & statuta à Deo definita gentes ad quærendum Deum stimulari debuerunt, si fortè invenirent & contrectarent eum, & Poëtæ eorum ex Naturæ lumine dicere potuerunt, nos homines Dei genus esse, ut* Aratus *dixit, utiq; aliquam Dei ex naturâ cognitionem apud gentiles esse oportuit. Sed ista omnia sunt, ut ex* locis citatis patet. *Ergò*. 3. Ex Psal. 19. ℣. 1. Ubi cœli enarrare gloriam Dei, *& firmamentum opus manuum ejus annuntiare dicuntur, Et* Job. 12. ℣. 7. seq: *Ubi jumenta, aves, pisces, & terra docere dicuntur, quòd manus Domini ista fecerit. Si & cœli, firmamenti, terræ, & brutorum adspectu de gloriâ Dei & manu Domini homo informari potest, utiq; Deum esse ex Naturæ aspectu homo cognoscere potest. Gloria enim Dei & manus Domini Deum præsupponunt, & opus artificis artificem præmonstrat.* V. Sapient. 13. ℣. 3. seq: Sirac. 43. ℣. 1. seq: *Sed prius est ex dictis. Ergò & posterius.* Verba *quædam* ex Psal. 19. *etsi* Rom. 10. ℣. 18. *ad prædicationem Evangelii applicentur:* Prior *tamen Psalmi pars* ℣. 2. 3. *de revelatione per naturam agit,* posterior *revelationem per Scripturam subjungit, & ab utroq; medio cognoscendi Deum Psaltes procedit, ut in* Commentariis Psalmi *uberiùs doceri solet.*

7. Ra-

7. Ratione *Deum esse patet.* 1. Quia moventium & efficientium ordo in infinitum procedere non potest, *sed ad aliquod movens ac efficiens tandem deveniendum, quod à seipso moveat & efficiat omnia, ipsum à nullo moveatur ac efficiatur. Secùs in infinitum præcipitabitur. At supremum movens & efficiens Deus ipse est. Hoc medio* Aristoteles 7. & 8. Physicor. & in Metaphysicis utitur. *Estq; ad concludendum hoc negotium aptissimum, Vt pluribus ex reliquorum collatione ostendit* D.I. Martini l. 2. Ex. Meta. Ex. 4. t.1. Imò si datur Causa secunda, *necesse est dari primam. Secundum enim prærequirit primum, in quo fundatur, & cujus respectu denominatur. Nisi primum sit, secundum nullo modo esse potest. Si datur dependens, contingens, finitum, & ab alio, necesse est dari & independens, necessarium, & cui repugnet non esse, infinitum & à seipso, hujus enim respectu istud dicitur. Impossibile enim est, omne, quod est, ab alio esse.* Quoddam *ergò à seipso esse necesse est.* Vel *enim tota rerum collectio ab alio producta erit, Et sic* vel aliquo intra numerum *productorum contento erit producta, Quod impossibile, sic enim pars Collectionis totam collectionem, & aliquid seipsum produxisset, Quæ Contradictoria,* aut *alia ab aliis in istâ collectione circulariter producentur: At sic aliquid totaliter ab effectu suo per circulum producetur, & ante omnem productionem suam Naturæ saltem ordine præexistere oportebit. Quicquid enim aliud producit, saltem ordine Naturæ præexistere debet, Quæ etiam Contradictoria sunt:* Vel ab aliquo extra numerum *productorum contento Collectio producetur. At hoc ipsum jam improductum erit. Quod ipse Deus est. Et si omnia Individua in aliqua specie producta sunt, etiam tota species producta est. Quomodo si omnes homines albi sunt, tota species alba est. Et si omnes causæ secundæ entia potentialia*

tialia sunt, tota collectio pariter talis est. At potentiale non producit in actum seipsum, sed ab alio actuatur, Ut in Metaphysicis *docetur. E. deveniendum ad aliquod,* quod actuet, ut non actuetur, producat, non producatur, agat & moveat, ut non ab alio *moveatur. Hoc nos* Deum *vocamus.* An id Metaphysicus à Physico, an hic ab illo accipiat, *de quo rixa* Averroi cum Avicenna, V. Scaliger. ex. 6. Jam non opus disceptare. Neuter *ab altero accipit, sed quisq; ex propriis ac domesticis principiis id eruit & demonstrat, Quomodo &* Ethica ac Politica *principia eò ducunt. Ubivis enim memoriam sui spargit Creator, & in omnibus deprehendi appetit.* 2. Quia mundus, & quæ in mundo, *creatorem esse ostendunt, quem Deum vocamus.* Vel enim mundus à seipso est, vel non à se ipso. Si à seipso, *quomodo perpetuis alterationibus & mutationibus in omnibus sui partibus subjectus est?* Cœlum *alterari & mutari stellis de novo in eo paratis & elucescentibus, ut Anno 72. 96. 600. & 604.* Solem *maculis interdùm distendi & variari tubo Optico aliisq; observationibus immotis* Galilæus, Tycho, Kepplerus, Scheinerus, Frankenbergius, aliiq; Astronomi *evidenter ostenderunt, ut* alibi *docetur.* Lunam *quotidiana incrementa & decrementa sentire sensus testatur.* Sublunaria, *aërem, terram, aquam, perpetuis alterationibus subjacere quotidiè animadvertimus. At quod à seipso est, variationibus non subjectum est. Quod enim causam non habet, ex quâ ortum sit, quomodo causam admittat, quâ mutetur & varietur? Et si à seipso mundus, Quis eum ad* tam determinatam figuram, quantitatem, situm, motum, *aliaq; restrinxit, Cum Naturâ sui ad hæc omnia indifferens sit, & major aut minor, alio aliove spatio esse posit? Sic sol major aut minor, excelsior aut depressior, celerior in motu aut tardior esse potest, nec Naturæ ejus hæc repu-*

repugnant. Idem de aliis astris, terra, mari & similibus dicendum. E. ab alio haec ita determinata esse oportet. Si non à seipso, E. vel ab alio, vel à nullo. Si ab alio, vel *creatus ille, vel increatus. Si increatus, quis ille esset ?* Vel *Spiritus vel Corpus. At haec partes mundi sunt, & ad eum ut membra integrantia pertinent. Partes autem totius integrantes non sunt causæ totius. Sic manus, pedes, brachia, non sunt causæ efficientes hominis. Si increatus, E. is ipse Deus, Spiritus increatus, est. Si à nullo, E. pulcherrimum ædificium nullum sui architectum habebit, quod impossibile & absurdum est. E. omninò Deum mundi authorem esse necesse est. Quod omnes saniores gentilium agnoverunt, ut* Morneus *testatur.* V. C. 3. t. 18. Similiter vel *mundus totus cum omnibus, quæ sunt in eo, factus est,* vel *aliquid in eo factum non est.* Si posterius, *jam id ipse Deus est.* Si prius, *tùm* aut *ab aliquo extra numerum factorum sunt facta, quæ facta sunt, quod proinde non factum erit, Et id ipse Deus erit:* Aut *ab illis ipsis, quæ facta sunt, Et sic aliquid sui ipsius Causa erit, quod impossibile, ut* ante *dictum. Nulla enim multitudo tota facta ab aliquo in istâ multitudine comprehenso fieri potest. Tota enim facta præsupponitur. E. alterius in isto genere efficiens esse nequit, quia ipsa effecta est. Et si aliquid eorum alterius efficiens esset, jam ipsum non factum vel à seipso factum esset, quod implicat. E. ab aliquo, quod non factum, facta est, quo Deus intelligitur.*

8. 3. Quia mundi consideratio, moles, constitutio, forma, sustentatio, gubernatio, rerum in mundo varietas, *pulchritudo, ordo, variorum beneficiorum in mundum quotidiana effusio, quà non intestatum se Deus relinquit,* t. 6. *Vires multarum rerum admirandæ, eventus rerum insignes, improvisi & insperati, Mentis humanæ & intelligentiarum consideratio, mirabiles,*

rabiles & improvisæ scelerũ pœnæ ac ultiones, tormenta conscientiarum, C. 1. t. 7. *Prædictiones rerum futurarum certæ & immotæ, quæ à solo Spiritu creato ita certò proficisci nunquam possunt, Universalis omnium gentium consensus, ut nulla gens tàm barbara sit, quæ non Deum esse sciat, etsi quis & qualis ille specialiter sit, ignoret, & similia, evidenter Deum esse commonstrant, quæ pluribus in* Theologia naturali, ut Alstedii & Schröderi, Mornæo l. d. verit. relig. Christ. I. Martini c. l. Gerhardo Exegesi de Deo, Valentiano & Tannero T. 1. The. Schol d. 1. & 2. aliosq; *deducta vide.* Dices: Ratio ex metu & morsu conscientiæ non præcisè Deum infert, sed superiorem aliquam potestatem, quam timemus. *Sic Americani Diabolum timuerunt, quia nocere senserunt. At hic de Deo præcisè quæstio est.* R. Si inferior *potestas timetur, quia nociva est, cur non summa, quæ maximè & in perpetuum nocere potest, timeatur?* Matth. 10. ℣. 28. Luc. 12. ℣. 4. 5. *Quæ est ipse Deus. Nec metus absolutè pro ratione hic est, sed qui* cum morsu conscientiæ est, *quo pungitur, convincitur, & proprio judicio damnatur conscientia, ut effugere se non posse sentiat. Talis metus omninò numinis vim præsupponit, cui ratio reddenda, cujus judicium subeundum, quod effugere non detur, & de quo ultrà provocari non possit. Et talis metus quandoq; in supremis hominibus fuit, qui superiorem in hoc mundo timere non necesse habuerunt, ut* Nerone, Caligulà, C. 1. t. 7. Alium *ergò supra hunc mundum judicem timuerunt, qui præter Deum esse non potest.* Ex Authoritatibus varii Patris *adduci possunt, de quibus* alibi *traditur.* Ex Adversariis Quidam Photiniani *notitiam Dei naturalem concedunt.* V. C. 1. t. 16. Smalcius d. 1. c. Frant. t. 78. *Rationem docere ait, Deum æternum esse, aut aliàs Deum summum esse non posse.* Si ratio *Deum æternum esse docet, multo magis eum esse docere poterit.*

9. *Quæ*

9. *Quæ adversus rationes istas excipi possunt, apud* Valentiam Cit. l. d. 1 q. 2. p. 3. *soluta habes.* Non per eas probari debet, Qualis sit Deus, *an æternus, infinitus, immaterialis, omnipotens, unicus numero, independens, Et quibus distinctiùs Dei naturam concipere solemus: Sed tantùm* quòd sit, *& confuso isti conceptui Dei nomine audito formato, de Ente aliquo primo & summo, aliquid Entis reverâ & in reipsâ respondere, nec esse planè commentitium, Quod istis rationibus omninò efficitur.* Quæ *existentiæ Dei argumenta* partìm ex *Sacris*, partìm ex *Naturâ opponi possunt*, à Photinianis, Atheis, Epicureis aliisq; *etiam solent, in* Theologiâ naturali, Pneumaticis, & in materia de Deo *solutionem habent, & ex parte apud* allegatos Authores *inveniuntur. Qui cognitionem Dei naturalem negant, Vel ex toto, vel ex parte,* C. 1. t. 16. *adducti sunt.* Alibi *pluribus hæc discutiuntur.* Multi *fuerunt, qui Deum esse negârunt. Ut* Diagoras Melius, Theodorus Cyrenaicus, Anaxagoras, Protagoras, Bion Borysthenites, Selius apud Martialem, Evemerus Messanius, Euripides, Lucianus, aliiq;. *Quibus* Homerum & Aristophanem *nonnulli addunt. Sed* alii *quosdam horum directè quidem omnes Deos negavisse censent,* Quosdam *autem pluralitatem saltem Deorum impugnasse,* Quosdam *verò per iniuriam in istam sententiam pertractos putant, Cum Deos esse nunquam negaverint. De quibus* in materiâ de Deo *pluribus.* Ex Neotericis Renatum des Cardes Gallum Voëtius *inter Atheos refert,* l. de Phil. Cartesiana. *Sed iniquissimè id fieri in Epistolâ ad Voetium hic deducit,* p. 25. seq. P. 245. seq. *& difficile esse, Atheos solidè refutare, ac existentiam Dei probare ait, Quod de* Thomæ *argumentis non satis evincentibus ostendat Valentia.* Idem Voëtius & Julium Cæs. Vaninum *inter Atheos numerat, & ob*

athis-

Atheismum combustum esse scribit. Sed eum ob dicta & facta privata testibus probata, non libros scriptos, combustum esse Renatus p. 260. *reponit. Ac plura* ex Meditat: hujus de prima Philosophiâ *patent.*

10. *Ita* Notitia Dei naturalis, *quòd sit, fuerit*: sequitur ea, quæ quid sit, revelat. *Ita ex Naturâ etiam patet*, Quòd spiritus & incorporeum quid sit, *non corpus & materiatum quid*, Quòd *substantia, non accidens, Ens & essentia, non non ens aut non essentia sit. Spiritus, h. e. substantia incorporea, concretionis materialis & extensionis Corporeæ ex Natura sui intrinsecè prorsùs expers, In hoc enim Spiritus formale est, Vt* in Pneumaticis *docetur.* Quia si Corpus esset, *Compositionem ex materia & formâ admitteret. At sic principium aliquod se prius haberet, Vnde componeretur, quod absurdum, Cum ipse prima omnium Causa & principium sit. Et quod in Creaturis perfectissimum est, Deo magis per eminentiam attribuendum, quàm imperfectius. Perfectiora autem in Creaturis spirituales substantiæ, quàm Corporeæ sunt, Quod ex operationibus earum, ut angelorum & animæ rationalis patet, ut* in Michaëlibus *docui.* Substantia, *quia ens non alteri ut subjecto inexistens, sed per se sine subjecto inexistentiæ subsistens est, in quo formale substantiæ accidenti contradistinctæ positum est. Et si plantæ, animalia, angeli, animæ humanæ, substantiæ sunt, magis Deo id adscribendum, qui eminentiore modo illis perfectior est. Substantia autem longè perfectius quid accidente est. E. & Deo competere debet.* Ens & essentia, *quia & essentiam habet, h. e. principium operationum omnium in eo, quod essentiæ voce exprimere solemus,* & ipse sibi sua essentia & omnia est, quia independenter ab omni alio, quomodocunq; id nominetur, est, *eòq; essentiam aliundè habere non potest, sed ipsam sibi essentiam esse necesse est.*

De speciebus notitiarum naturalium.

THESIS X. Cap. V.

ET existentia ejus ab essentiâ nec ratione nec re differt, ut in creatis solet, secùs essentiam ejus præcisè quasi actualitate carentem, ac proindè in causâ suâ latentem, concipere necessum foret. Sic enim essentia sine existentiâ ut in potestate causæ alicujus priùs latens, quæ eam actuare possit, concipi solet. At hoc de Deo cogitare variam imperfectionem importabit. Ab aliâ enim causâ Deus productus erit, undè dependebit, ens creatum, finitum, mutabile, productum, contingens, dependens fiet, quæ omnia absurdissima Deoq; indigna sunt.

Resp: JOHANNE FRIDERICO BRAKERMANNO. Dantisc. Pruten.

II. *Sic &* notitia Dei, quà quid est, quantum ex Naturâ hauriri potest: Sequitur, quà qualis est. *Ita etiam* quædam, quæ attributa in Deo vocare solemus, & per modum à posteriori qualificantium & describentium Deum concipere eiq; attribuere *solemus, ex Naturâ patent. Vt infinitas, Æternitas, Omnipotentia, Vnitas, Simplicitas, Singularitas, Veracitas, Bonitas, Perfectio, Intellectus, Voluntas, Immutabilitas, Justitia & Sanctitas, Majestas & gloriositas. Patere hæc ex Naturæ lumine de Deo, vereq; de eo enuntiari patet.* 1. Quia quicquid perfectionis in creatis est, *eminentiore modo Deo tribuendum esse ratio & lumen Naturæ percipit. Summum enim ens ille est, & proindè summo gradu perfectionum capax. Sed unum, potens, durans, verax, bonum, perfectum, intelligens, volens, Sanctum & gloriosum esse, perfectiones sunt in creatis, ut liquet.* Opposita *enim eorum, ut non unum, sed multiplex, va-*

gum, confusum, impotens, momentaneum, mendax, malum, insipiens & sine intellectu esse, ingratæ imperfectiones sunt. E. & DEus summè unus, justus, bonus, verax, intelligens, volens est. 2. Quia in specie singula ista attributa Deo competere *in Theologiâ Naturali, supernaturali, Pneumaticâ, & Scholasticis firmis rationibus demonstrari solet.* Ut infinitas *ex summâ primitate, simplicitate, & absolutâ independentia*, æternitas *ex infinitate*, Omnipotentia *ex pura actualitate*, Unitas *ex summâ perfectione, infinitate & independentia*, simplicitas *ex summâ spiritualitate*, singularitas *ex summâ unitate*, veracitas *ex unitate*, bonitas *ex actualitate*, perfectio *ex primitate & independentiâ*, Intellectus & voluntas *ex essentiæ spiritualitate*, Immutabilitas *ex purâ actualitate, primitate, independentiâ*, sanctitas *ex bonitate*, gloriositas *ex perfectione & aliis deducitur. Vt in* Pneumaticis & alibi *pleniùs confirmatur.* 3. Quia *apertè Dei potentiam & divinitatem, h. e. divina attributa gentiles per opera Creationis observata agnoscere potuisse* Paulus *asserit. Ita ut inexcusabiles in notitiâ istâ neglectâ fuerint*, Rom. 1. ℣ 20. V. t. 2. 3. *At talis notitia ex Naturâ hausta est.*

12. Quamvis *autem hæc notitia de Deo verissima, & in suo genere certissima sit, quòd sit, quid sit, & qualis sit, nondum tamen specialem istam cognitionem, quam ex Scripturæ revelatione habemus, ut quòd Deus Pater ille Domini nostri Jesu Christi sit, & quòd Christus filius ejus unigenitus sit, & quod Spiritus Sanctus à patre procedat, & à Christo missus sit, & quod hæc tria in unum sint, attingit, eóq; ad salutem non sufficit, etsi gentiles inexcusabiles coram Deo reddere potuerit, Quod ex eâ non ulteriùs Dei revelationem inquisierint.* V. Cap. 4. t. 12. 13. seq: *De quo sequentia notanda.* 1. Cognitio Dei naturalis est quidditatis & essentiæ Dei in genere, *non quidditativa & omnium,*

quæ

quæ sunt in ista essentiâ in specie, nec processionum ex eâ, non filii Dei aut Spiritus Dei, non gratiæ Dei in Christo exhibitæ, aut similium: Apprehensiva *est, non comprehensiva, declarat, non exhaurit, aliquid dicit, & multum etiam relinquit, ac in multis specialibus deficit. Falsa quidem in se non est, sed vera,* Cap. 4. t. 12. seq: *Veruntamen non plena & consummata, sed obscurior, semiplenior, in gentili etiam revelatione Verbi destituto languida, inscitiâ ac malitiâ suffocata est, & in tentationibus non satis consistens esse potest.* V. Cap. 4. t. 7. 2. Cognitio naturalis Dei *etsi gentiles coram Deo verè inexcusabiles reddidit, quia ulteriùs de Deo inquirere debuerunt & potuerunt: ad salutem tamen eis non suffecit, quia extra Christum ejusq́ gratiam & sine fide in eum fuerunt, sine quo nulla salus:* Cit. l. t. 17. 3. Cognitio Dei à priori reali, *quod realiter Deo priùs sit, aut ante eum reverâ extiterit, demonstrari non potest, Cum ipse absolutè primus & novissimus sit,* Esa. 44. ℣. 6. Cap. 48. ℣. 12. *Nec aliquid pro vero genere aut differentiâ Logicâ hic adduci potest, Cum ista omnia Deus eminentiâ sui transcendat, ut* di. 4. Log. t. 12. seq. *demonstratum:* Sed à posteriori, *ab effectis, motu, causis ad ultimam deferendis, mundi statu & eventu hic proceditur,* t. 7. seq: *Quæ demonstratio etsi primaria non sit, sed secundaria: vera tamen, legitima, & in suo genere immota est.* V. di. 13. Log. t. 19. seq: Quidam *negant, evidenter ex Naturâ demonstrari posse, Deum esse, sed probabilissimè & moraliter id inferri, Ut* Cameracensis & Nominales quidam apud Vasquium T. 1. di. 20. C. 2. Pererium di. 16. in Cap. 1. Rom. *Nec longè abit ipse* Vasquius C. l. R. Moses item, Bassolis, Major, Cassalius apud Tannerum T. 1. di. 2. q. 1. dub. 3. Aliiq;. *Sed rationes* t. 7. 8. *allatæ contrarium evincunt.*

13\. 4. Cognitio de existentiâ & attributis Dei homini innata & connata dici potest, *non quà ideam aut species connatas, vel habitum notitiæ propriè dictum, sed dispositionem congenitam & lumen intellectus connatum, quæ accedente ætate, usu, exercitio, culturâ, inquisitione, perfici possunt, Vt habitus fiant,* Cap. 2. t. 5. seq. 5. Cognitio Dei naturalis ut via & gradus ad ulteriorem notitiam sedulò ab homine est usurpanda, *excolenda, adhibenda, non negligenda, contemnenda, suffocanda, detorquenda. Nec cognitio Naturalis supernaturali opponenda, aut hæc ex illâ oppugnanda vel expugnanda est, sed illi subordinanda, & supernaturalis ex naturali velut ex occasione suscitanda, inquirenda, incendenda. Vt homo quærere incipiat, & inventam supernaturalem cognitionem per naturalem illustret, adjuvet, explicet, ut multi* Patres *in scriptis suis fecerunt. Vt lumen minus majori supponitur & coordinatur, non contraponitur & adversatur, nec extinguit illud, sed in lucendo juvat, auget, ornat. Ad Deum enim quærendum, investigandum, inveniendum, & glorificandum Naturæ lumen manuducere debet.* Cap. 4. t. 12. *Non enim amittendum, negligendum, contemnendum, despiciendum, blasphemandum docet aut permittit, cum varia ejus attributa per Naturam de eo cognita,* t. 10. *severè id prohibeant, & si seciùs homo procedat, coràm Deo inexcusabilis fiat,* Cap. 4. c. I. seq. *Nec notitia Dei supernaturalis naturali propriè adversa aut contraria est, sed ab eâ* diversa, amplior, illustrior, superior, & *specialior Naturali, in quâ multa patent, quæ in Naturali latent,* t. 12. 15. *Plurib. ex* Coronide Log. t. 24. seq. & dis. de Cognit. humana, t. 28. seq: *hæc patere possunt.*

14\. 6. Cognitione Naturæ si quis abutatur ad cognitionem spiritualem extenuandam, oppugnandam, irriden-

dendam, aut suspectam aliis reddendã, *Vitium hominis abutentis est, & cognitioni ipsi imputari non debet, ut nec* Vino *imputatur, quòd homines eo ad inebriandum, commessandum, & a- sotias, aut* Scripturæ, *quòd Pseudoprophetæ ad hæreses statuendas & confirmandas,* stellis cœli, *quod idololatræ illis ad varias idololatrias exercendas abutantur, Aut* Citharistriæ arti, *quòd ad Venerem & Bacchum sectandum eam quis adhibeat. Fermè enim quò pretiosiores naturâ sui res sunt, eo furiosioribus abusibꝰ hominum vitio eorum subjacent. Vitia autem subjectorum & utentium rebus ipsis, in quibus usus est, imputari non debent.* V. C. I. t. 34. *Cognitio Naturæ & operum in eâ naturâ sui & intentione Dei ad Deum quærendum & glorificandum est destinata*, Cap. 4. t. 12. *Si ab homine ad aliud detorquetur, Culpa hominis, non cognitionis est, homo per id coram Deo inexcusabilis fit, non cognitio ipsa evertitur. Quod in bonum hominis datum est, in pravum ab eo applicatum est, & judicium Dei super illo aggravatum.* Cap. 4. t. 13. 7. Causa difficultatis in agnoscendâ naturâ Dei per solum Naturæ lumen & Dei infinitas, incomprehensibilitas, & independentia est, *quæ nihil per modum generis, speciei, aut differentiæ de eo verè concipi, attribui, & prædicari potest*, t. 11. *Et quicquid intellectus humanus de Deo dicit, semper majus quid superest, quod exhauriri non potest, & in quo intellectum humanum in naturalibus & manifestissimis sæpè cæcutientem*, V. Dec. 2. Misc. d: 2 t. 1. Et d: 4. t. 2. *absorberi necessum est.* Ac tum demum verè Deus æstimatur, cum inæstimabilis agnoscitur: Et Incorporalitas, *puritas, actualitas, ac simplicitas, spiritualia enim vix adæquatè concipimus, quia vix in intellectu est, quod non priùs aliquo modo in sensu fuit*, Cap. 1. t. 17. *Neq; partem & partem hic imaginari possumus, quæ nulla hic est:* Et æternitas Dei, *quæ est tota simul & perfecta sine ullâ successione inter-*

interminabilis in essendo permanentia, nec incipiens, nec desinens, nec principium, nec finem habere potens, In quâ adæquatè concipiendâ & repræsentandâ intellectum humanum etiam absorberi necessum est. *Terminatus enim cum naturâ sui sit, interminabilia ægrè percipit, & exhaurire non potest. Talia autem Deus & divina sunt.*

15. 8. DEum esse, & unum esse, *sine gratiâ Dei speciali per solam generalem gratiam, quam ex Naturâ observare licet, quæ laxo sensu gratia interdùm dicitur, Etsi Biblico significato ita non dicatur, cognosci potest. Nam & objecta ipsa lumini Naturæ subjacent, ut ex eo apprehendi possint*, t.7.8. *Et in Naturâ vires ad istam cognitionem ex intuitu Creatorum sufficientes sunt*, t.2.seq. *Et ex Naturâ à posteriori hæc demonstrari possunt*, t. 11. *Quæ autem demonstrantur, non difficilem assensum ex Naturæ viribus apud non turbatos inveniunt, Vt speciali gratiæ auxilio hic opus non sit, Quod* Calvinum, Heshusium, & Cameracensem *hic requisivisse* Bellarminus l.4. de lib.arb.C.2. *tradit. Vbi tamen non sine calumniâ eorum sententia adducitur, quod de* Calvino *apertè* Chamier T.2. Panstrat. l.2. C.11. *ostendit; De omnibus tribus calumniosè dici* Pareus in istum Bellarm: locum *adductis Authorum locis docet.* Calvinus *non Deum esse gentes cognovisse negat, sed verum illum Deum, qui sit Pater, filius, & Spiritus Sanctus, non cognovisse ait.* Heshusius *mentem multa ad cognitionem divinorum facientia agnovisse ex* Catechismo Romano *ait, maximam tamen partem eorum, quibus æterna salus comparetur, non potuisse cognoscere addit.* Cameracensis *unitatem Dei Aristotelis quidem demonstrationibus probari posse negat: Lumine rationis tamen probabiliter & evidenter ostendi posse asserit. Evidenter enim sequi, Deus est. E. & unus tantùm est.* 9. Cum Deus ex Naturâ cognoscitur,

ſcitur, *non eſt id per ſe & ex ſolis terminis eorumq́ſignificatione notum, quomodo ex terminis notum eſt, bis 2. eſſe 4. Totũ eſſe majus ſuâ parte, Impoſ: eſſe aliquid eſſe & ſimul non eſſe: Sed diſcurſu hic opus eſt, & ex iis, quæ facta ſunt, Creator ac factor eorum colligetur, Vt ex viſibilibus inuiſibilis Dei virtus & Divinitas agnoſcatur*, Sap. 13. ℣. 1. ſeq. Rom. 1. ℣. 20. V. t. 2. ſeq. 10. Cognoverunt gentiles verum Deum, ſed generaliter, *quòd Spiritus ſit, verus, juſtus, bonus, ſapiens, motor omnium inferiorum ſit: Sic enim veritatem & Jus Dei agnoviſſe dicuntur*, Cap. 4. t. 1 Non ſpecialiter, *Quod Pater Domini noſtri Jeſu Chr. ſit, habens filium & Spiritum Sanctum. Hoc enim myſterium & articulus fidei in Scripturâ revelatus & extra eam non patens eſt. Aliquid veri Dei cognoverunt, non totum verum Deum. Habuerunt notitias quasdam vero Deo verè competentes. Quis in ſpecie & qualis ille ſpecialiter ſit, non cognoverunt.*

16. *Ita etiam* de Notitiâ Dei, qualis ſit: Sequitur de eâ, quòd colendus ſit, quantum ex Naturâ deſumi poteſt. Hic & colendum Deum, & ſupra omnia humana, & maximo modo, & ſolum eum taliter colendum eſſe, ex Naturâ cognoſci poteſt. Patetq́; partim Scripturâ, *quæ gentes Deum colere voluiſſe, & coluiſſe teſtatur, Vt Athenienſes, qui ignoto Deo aram erexerunt*, Act. 17. ℣. 23. *Et ex Variis idololatricis cultibus, quibus paſſim idola propitiârunt. De quibus pleni Prophetæ*: Partim ratione, *Nam Naturæ lumen dictat, Deum ens ſummum, primum, independens, optimum, verax, juſtum, Virtutum compenſatorem, omnipotens, perfectum & ſanctum eſſe, & ſolum talem ex ſe & à ſe eſſe*, t. 10. *At tale Ens cultu religioſo dignum eſſe dubitari non poteſt. Et ſolum tali cultu dignum eſſe ratione perſpicitur.* Deinde *varia & quotidiana Dei benefacta, quæ in Naturâ animadvertimus, ut pluviæ, ſerenitates, fertilitates*,

tes, ciborum, potuum, aliorumq́ ad vitam necessariorum suppeditationes, Extraordinaria *item supplicia, quæ observamus, ut horrenda aut diuturna bella, imperiorum eversiones, inundationes, terræ motus, aliaq́;* Mirabiles *etiam & insperatæ rerum ac eventuum directiones docent, Ens istud ea perficiens ac dirigens solum cultu & honore religioso dignum esse, Cum & solum talia procurare, & avertere, & mitigare possit. Quod & ipsa Gentilium experientia confirmat, quà partìm Deum sincerè colere Doctores inter ipsos præscripserunt, Vt* Philosophi, Plato in Epinomide, Seneca l. 1. Ep. 95. Cicero 1. de Nat. Deor. Et 1. Offic: Trismegistus, Aristoteles, Jamblichus, Cato in distictis, *Vt, Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,* & alii: Partìm *Deos suos variis iisq́ sumptuosis interdùm sacrificiis & ritibus propitiare voluerunt, Vt ex* Cicerone, Plutarcho, Strabone, Homero, Svida, Lipsio de magnitudine Romanâ, aliisq; *patet, Vbi Deum colendum esse ex Naturæ lumine perviderunt, Etsi nec legitimè eum coluerint, sed in colendo vani facti fuerint, cultumq́ Deo debitum ad idola ac Creaturas transtulerint,* Cap. 4. t. 3. *Nec de colendi modo revelationem ipsius Dei satis inquisiverint, sed parum id inquiri curaverint,* Rom. 1. ℣. 21. 28. Socrates *unumquemq́ Deum ita colendum dicebat, prout se coli præcepisset.* Romani *devictarum gentium Deos pro tutelaribus acceptare solebant. Sed Deo* Judæórum *id negaverunt, quòd is se solum coli vellet, & sic omnis cæterorum Deorum cultus abrogandus esset. Majestatem autem Imperii Romani parum decere, Vt unus tantùm Deus colatur. Vt* Cicero Or. pr. Flacco *respondit. Ita in Causâ religionis gentiles luserunt, & sic ad veram Dei agnitionem per ignaviam, superbiam, & vanitatem suam nunquam devenerunt. Res ipsa, Cultus Dei, per Naturam satis agnoscitur.*

17. *Ita* notitia Entis eminentissimi *fuit*: *Sequitur* Universalissimi, quod ut primum & communissimum cognitum ab intellectu in cognitione intellectuali originali actuali confusa & exoterica primò apprehenditur, cognoscitur, & intrinsecè positiuum esse in veritate citra mentis fictionem consistens habere deprehenditur. *Hoc* Ens, *apex & meta ista conceptuum humanorum, est, Vltra quod progredi non datur, & in quod omnes cæteri conceptus ultimatè tandem resoluuntur, in quo ut in summo sistitur, & à quo ut supremo cogitatio humana universa inchoatur.* Naturaliter hoc cognitum esse, & quid sit, ac quale sit, patet. 1. Quia omnes *conceptum Entis in generali sibi incidere experiuntur, Vt si aliter repræsentare aut denominare rem non possint,* Entis *nomine communissimo appellent. Quod & in pueris ac idiotis literarum expertibus & usum saltem rationis habentibus fieri observamus. Neq; magnopere* à Scoto & Scotistis, *ac ex parte* Occamistis *hæc expugnantur, ut in* Metaphysicis *docetur.* 2. Quia prima principia complexa *ex ente composita & profluentia, ut quidlibet est aut non est, Imp. est aliquid esse & simul non esse, naturaliter sunt prima cognita, & evidentissima quidem, Vt* Tr. de Contradict. s. 1. t. 70. 82. seq: *ostendi. E. & ipsum ens, unde ea originem ducunt, tale esse oportet. Nec enim principium toto genere deterius principiatis suis esse potest.* 3. Quia prædicamenta omnia *generalitate sui transcendit, & de omni re vel sensili vel intelligibili, vel substantiali vel accidentali, affirmatè verè enuntiari potest. At generalia in conceptu confuso notiora sunt particularibus & singularibus, ut apud* Metaphysicos, Physicos, & Gnostologos *docetur.*

18. *Similiter* τὸ quale in Ente, *quòd sub unius ratione Ens in conceptu confuso, tàm formali, quàm materiali seu objectivo,*

jectivo, repræsentetur, patet. 1. Quia primum & simplicissimum *in suo genere est, Vnde cætera originem habent, ut* t. 16. *patuit. At primum sui generis etiam unum esse solet.* 2. Quia *experimur, Entis nomine audito ad unum & simplex quid cogitata nostra recurrere & determinari.* 3. Quia conceptum *à substantiâ & accidente, entis speciebus, abstractum & utriq; indifferentem ac competentem formare possumus, quâ realem essentiam utriq; inesse cogitamus, & sub hac convenientia utrumq; repræsentamus. Quod ex definitione Entis* t. 7. *posita patet, quæ ab omnibus inferioribus ejus, substantiâ & accidente, finito & infinito, abstrahit, & indifferenter ad utrumq; sumi potest. At hæc convenientia unum quid in utroq; est. E. & conceptus eam dicens unus erit.* 4. Quia si conceptus Entis *generalis unus non est, Sed plura implicat, substantiam, accidens, tùm* id vel sensu copulativo *fiet, substantia & accidens, At sic nulla res in particulari Ens esset, vel ut Ens cogitari posset, V. g. Calor, homo, Equus, Quod falsum esse experimur, Cum omninò talia etiam ut Entia concipere valeamus, non determinando ad substantiam & accidens simul, quod utrumq; nulla istarum rerum est:* Vel disjunctivo, *substantia vel accidens, At sic sensus, substantia est ens, idem esset, ac substantia est substantia vel accidens, Quod nugatorium, Cum unicum tantùm eorum esse posit, non disjunctorum utrumq;, Vt oppositorum, uni simùl verè attribui posit:* Vel indifferenti, *substantia accidens; At sic ens esse idem ac substantiam accidens esse erit, quod etiam inconsistens. Nam & tales prædicandi modi prorsùs inusitati apud* Latinos & Græcos *sunt, & falsum est, aliquid eorum utrumq; esse posse, Cum rationes eorum formales prorsùs oppositæ sint, Vt uni simùl inesse non possint, Vt subjecto inexistere & non inexistere, substantiam extraessentialiter denominare & non denominare. E. Ens in se conceptum*

ptum verè unum ab inferioribus *distinctum habet*. Deniq; supremum cognitum Ens esse patet, quia ultrà in cogitando ascendere non datur, sed in eo ut in ultimo quiescitur. *Quærendo enim*, quid Ens sit, *superius reale quid assignare non licet, & quæ alii assignant, Vt* rem, aliquid, intelligibile, positivum, & alia, *partìm idem ac Ens sunt, partìm respectum saltem ad cognitionem aut realitatem dicunt, Vt in* Metaphysicis *docetur. Itaq; in qualicunq; Entis descriptione hic sistitur & quiescitur.*

19. *Sic &* notitia Entis universalissimi *fuit, & sic notitia objecti theoretici simplicis fuit :* Complexi objecti est, quod per modum integri enuntiati & principii cognosciti- vi se habet, intellectum nostrum in cognitione rei dirigentis, & naturali lumine cogniti ac perspecti. *Talia* principia prima theoretica *sunt, quæ in Intelligentiæ habitu proponi solent, Et in* primaria *dividuntur, Vt, Duo verè Contradicentia simùl vera esse nequeunt, sed æternæ sunt repugnantiæ, Vt conciliari invicem non possint : Impossibile est aliquid esse & simùl non esse : Quodlibet est vel non est, aliquid vel Ens vel non ens est* : Et secundaria, *Vt, Impossibile est aliquid esse, & simùl cum aliis confusum esse. DEus, Natura, & intellectus noster rectè se habens ab omni confusione abhorrent. Ens est unum, Verum, bonum, perfectum, Vbicatum, durans. Totum est majus suâ parte propriâ simpliciter sibi relictâ, nullo extraneo adjacente immutatâ. Causa prior effecto, Effectus posterior Causâ Naturæ Ordine. Omnis quantitas est divisibilis & mensurabilis. Æqualia æqualitus addita faciunt tota æqualia, & ab æqualibus ablata residua faciunt æqualia, & similia, quæ* partìm in Metaphysicis, partìm Pneumaticis, Physicis, & Mathematicis *proponi, & exemplis illustrari solent.*

CAPUT VI.

De notitiis Naturalibus practicis.

THESIS I.

ITa Notitiæ theoreticæ *fuerunt, circa cognitionem Veri versantes: Succedunt* Practicæ, quæ circa res Naturâ sui à nobis agibiles versantur, eoq; actionem aliquam nostram dirigunt, intendunt, & perficiunt. Hæ vel morales seu activæ, vel instrumentales, organicæ, & effectivæ sunt. Activæ sunt, quæ ad actionem moralem tendunt, eoq; voluntatem in appetitu boni & fuga mali moralis dirigunt. Suntq; etiam vel objecti simplicis vel complexi. Simplicis, *quod per modum termini, non integri Enuntiati se habet. Tale quid ipsum* honestum vel honestas & inhonestas est. *Hoc naturâ cognitum esse, in ejus lumine fundari, non solâ opinione constare, patet* partim Scripturâ, *quæ gentes naturâ legem fecisse, eamq; in Cordib. suis scriptam ostendisse ait,* Rom. 2. ℣. 14. 15. *Et imaginem divinam in ruderibus quibusdam superesse in homine tradit,* V. Cap. 1. t. 5. Partim *Ratione; quia peccatorum turpitudo naturaliter agnoscitur. E. & honestatis decor naturaliter cognitus esse debet, cum oppositorum eadem sit notitia:* Conscientia *accusans, convincens, & damnans naturaliter persentitur; tormenta, stimuli, & angores ejus experientiâ teste deprehenduntur, Dei cultus naturaliter est agnitus,* Cap. 5. t. 16. *Cui honestum subordinatur, præmia bonorum, supplicia malorum, & vindicis Numinis ira ac δικαίωμα, per Naturam innotescit,* Rom. 1. ℣. 32. *Discrimen honestorum & turpium naturaliter agnoscitur, ut nobiscum natum, & digito Dei in cordibus nostris inscriptum. Quare & honesti vitiiq; notitiam*

titiam

vitiam naturalem esse necesse est. Oppositum *senserunt ex* Neotericis Libertini, *Quorum promachi* Quintinus & Copinus *fuerunt, qui peccata tantũ Opiniones esse delirârunt, & cujus facere, quod liberet, ac honestatem & turpitudinem opinione, non re & naturâ discreta esse senserunt, Vt de illis* Calvinus in instructione con. Libertinos, Bullingerus l. 2. con. Anabaptis. Et P. Viretus l. 2. de. minist. Verbi *tradunt.* Ex Veteribus Cerdonianos, Gnosticos, Manichæos, *similia delirasse, indeq́* Libertinos *sua portenta traxisse* C. l. *tradit* Calvinus: *De* Simonianis & Valentinianis *analoga apud authores tradi solent.* V. Pontanum Catal: hæret. Cap. 53. & 60. Dices: Si Naturâ *constat honesti & turpis discrimen, quomodo in Barbaris & sceleratis prorsùs extinctum est, ut vix adesse appareat.* R. Quia *suffocant lumen, quod per naturam mentibus eorum Deus inseruit, non excitant, nec occasionem ultrà inquirendi inde sumunt. Indeq́ per socordiam & malitiam suam Deo inexcusabiles fiunt.* Cap. 1. t. 17. Cap. 4. t. 12. 13.

2. Complexi Objecti sunt, quod per modum integri Enuntiati & principii directivi se habet. Hoc partim Lex Naturæ, partim Enuntiata practica primæ Veritatis è lumine Naturæ practico deriuata sunt, quæ ab intellectu statim ut vera apprehenduntur, rebus consentanea deprehenduntur, & ad praxin moralem dirigendam ordinantur. Lex Naturæ *generalissimè ab* JCtis *sumitur pro omni jure, quod Natura omnes animantes docuit, illisq́ à Naturâ impressit. Vt defendere seipsum, Noxia fugere, societatem inire, liberos procreare, nutrire, tueri; Vt* dec. 3. Misc: disp. 8. t. 26. *notatum.* Specialius à Philosophis *sumitur pro jure omnibus gentibus communi, quod instinctu Naturæ, non peculari constitutione ubiq́ apud gentes servatur. Vt Deum colendum, Majoribus obtem-*

perandum, vim vi repellendam esse. Apud Theologos *pro jure homini proprio sumitur, à naturâ per generationem in mentem hominis implantato, quo discrimen honesti ac turpis naturâ pervideat, bonaq; agenda, mala fugienda dijudicare possit. Et sic* hic *sumitur. Dicitur* Naturæ lex partìm efficienter, *quia à Naturâ, Ordinaria Dei in agendo potestate & viâ, ac principio omnium motuum ac operationum in subjectis suis, tanquam causâ propiore homini per generationem implantatur, Natura enim hominem generans, simùl legem istam menti ejus generando implantat,* Con. C.3. t.5. Partìm *subjectivè & materialiter, quia in Naturâ humanâ, cui ingeneratur, residet & inhæret, tanquam dispositio aliqua luminosa post lapsum intellectum hominis adhuc perficiens,* V. C. l. t. 7. *Dari post lapsum in homine legem Naturæ* Cap. 1. t. 5. seq. *Ostensum est. Et ex classico isto loco* Rom. 2. ℣. 14. *patet. Ubi gentes legem specialiter positam ut* Judæi, *non habentes, Naturaliter ea, quæ legis sunt, facere dicuntur, sine lege positivâ sibi ipsis lex esse, & opus legis in cordibus suis inscriptum ostendere, ac conscientia eorum ex naturâ factis illis attestari dicuntur. Si naturaliter ista & sine lege positivâ gentes faciunt, utiq; principium agendi Naturam & à Natura in illis esse oportet. Qui enim Naturâ operatur, principium operandi Naturam in se habet. Principia enim agendi, Natura sive lex indita in gentibus, Et positiva in* Judæis *hic contraponuntur & distinguuntur ab Apostolo, ut totius Capitis contextus arguit. Ut vanum sit, vocem* Φύσει *ad gentes referre velle, quasi dicatur, Eos, qui Naturâ gentes essent, non* Judæi, *ut Naturâ* Judæi *dicuntur,* Gal. 2. ℣. 5. *Ut* Arminianorum *quidam solent, Ut* Arminius Resp. ad 17. artic: Corvinus c. Tilenum p. 119. 155. 409. Co. Molinæum Cap. 34. 37. 42. Remonstrantes in Act. Synod. def. ar. 3. *Non enim subjecta, gentes, vult describere*

Aposto-

Apostolus, an Naturâ tales, an externâ positione & circumstantiâ sint: sed principia, ex quibus egerint, determinare, *quòd Judæi ex lege scriptâ egerint, ex eaq́; judicandi: gentiles ex Naturâ & sibi ipsis inditâ lege, & ex eâ in judicio damnandi sint,* ℣. 11. 12. seq. *Neq́;* Flacii & aliorum *effugia, inter inscriptum & innatum distinguentium, vel sermonem Apostoli conditionalem esse reponentium, valent. Inscriptio enim Naturam principium agnoscens, eadem ac connata est, quod & gentiles interdum agnoverunt,* Cap. 2. t. 25. *Et conditionatè hic Apostolum loqui ex ipsâ contextus inspectione falsum esse convincitur.* Similiter & ex peccatis Naturaliter agnitis, *conscientiâ hominem damnante vel absolvente, angoribus ejus & tormentis, ac præclaris Ethnicorum monitis & præceptis practicis patet, quæ* Cit. l. t. 6. 7. *deducta sunt. Quæ objici contra eam possunt,* t. 17. *soluta sunt.*

3. *Definiri potest* lex à primo ortu homini per generationem ad modum dispositionis impressa, ex reliquiis imaginis divinæ in eo residua, quà generalia de bono agendo, malo fugiendo principia agnoscuntur, Deusq́; quæri, & honestas exerceri præscribitur, & in negligendo homo inexcusabilis coram Deo redditur. Ex genere lex est, in *quo cum lege divinâ & humana consentit. Lex generaliter* regula ac norma actionum est. *Specialiter* decretum à potestatem habente sufficienter promulgatum, substantiam intellectualem ad ritè vivendum dirigens, & ad obediendum alligans, dici solet. V. dec. 3. Mis. d. 4. t. 14. *Hæc definitio & legi Naturæ competit. Nam & decretum est, h. e. Præceptum & dictamen rei faciendæ autem omittendæ Naturæ rationali Naturâ inditum: Et promulgata, internâ nempè in mentem hominis impressione, partìm per creationem, ut in Adamo, partìm generatio-*

rationem, ut in liberis Adami & successoribus : Vt enim lex humana externâ præscriptione jubet : sic lex Naturæ internâ dictatione & in mentem inscriptione, V. C. 1. t. 16. *Per generationem Naturâ impressam, non acquisitam esse*, Cap. 1. t. 5. seq. *Ad modum dispositionis eam impressam esse* Cap. 2. t. 26. seq. *Generalia de bono & malo principia ex eâ suggeri & cognosci*, C. 4. t. 12. *Dei quærendi & honestatis exercendæ incitamenta inde sumi debere* Cap. 4. t. 11. 12. *Neglectam eam hominem inexcusabilem reddere* C. 2. t. 28 C. 4. t. 11. 12. & alibi *patuit*. Dices 1. Lex publicum quid esse solet. *Sed lex Naturæ privatum in mente privati cujuslibet dictamen est. E. non lex. R. Publicâ tamen jubentis Dei authoritate toti hominum generi & communitati, quæ publico alicui respondere potest, & cuivis homini, qui publicus mundi civis, & Naturæ filius est, impressa & sancita est, & hactenùs publicum quid & ea dici potest, etsi privati dictaminis in homine respectu minùs publicum quid videri possit*. 2. Lex actus intellectus actum voluntatis *in homine sequi solet. Sed lex Naturæ antecedit*. R. Antecedens vel *de lege positivâ saltem valet, non impressâ* : Vel *actum voluntatis sequi debet, sed in legislatore scilicet, qui hic Deus est, qui ex liberâ voluntate tale sancitum & præceptū homini impressit, Et sic liberū voluntatis ejus beneplacitum consecuta est; non eo præcisè, cui lex fertur. Si Deus noluisset, legē non imprimere potuisset*. 3. Si ex hypothesi Deus non esset, *nec lex Naturæ lex esset, quia à nullo legislatore esset*. R. Ista hypothesis est *impossibilis*, C. 5. t. 7. seq. *Et tali casu regula obligans esset, Sed non propriè lex aut præceptum superioris*. 4. Promulgatio impropriè *ei tribuitur, quæ ad omnem legem requiritur*. R. Eo ipso *intimari & promulgari dici potest, quo principium practicum homini innotescit, Deusq́; legem istam naturaliter cognoscendam mentibus hominum inseruit*.

4. At-

4. Attributa ejus *quæ & qualia sint, Vt* Veritas, cum rebus conformitas, Dignitas, Utilitas, *ex iis, quæ de attributis Notitiæ naturalis in genere* Cap. 4. t. 1. seq. *dicta sunt, facilè patere potest.* Specialiter de totalitate ejus, formali officio, generali apud omnes identitate, immutabilitate, obligationis universalitate, universalibus ejus dictatis, quæ tradit, & à lege Mosaica differentiâ *disquiri solet.* Totalitas est, quâ totaliter omnis virtus in universum ab eâ præscribitur & postulatur, sed *in generali, confuso, ideâ, & quæ Naturali aut morali principio agnosci potest, ut honestè vivere, turpe fugere, non speciali & variis circumstantiis, quomodo judicio prudentis secundùm rectam rationem determinanda, & specialibus legibus præscribenda: Nec virtus Evangelica, quæ supernaturali Scripturæ principio cognoscitur & determinatur, ut credere, pœnitere, verbum Dei audire, Spiritui Sancto non resistere, in nomine Christi DEum invocare, merito Christi confidere, &c. Hæ enim ultra principium Naturæ patent, ex quo cognoscentur. Vbi tamen è scripturâ cognitæ fuerint, lex Naturæ talia virtutum præcepta servanda esse evidenter dictat, quomodo & legibus humanis legitimè latis obtemperandum esse ex eadem constat.* Formale officium est, quo partim bonum ostendit, suadet, præcipit, malum prohibet, partim obsequentem commendat, obsistentem accusat, condemnat, & coram Deo inexcusabilem reddit. V. Cap. 4. t. 12. Generalis identitas est, quâ ipsa in sese & Naturâ ac essentiâ suâ, dispositione luminosâ intellectui humano connatâ, *una ac eadem apud omnes est, eadem principia & proximas conclusiones inde deductas subministrat, eandem veritatem & notitiam quantum ad generalia sua principia apud omnes habet, numero tantùm secundùm individuorum humanorum numerum variatur, Etsi in usu, ap-*

plicatione, conclusionibus remotioribus & specialioribus, uberiorem discursum requirentibus, per connatam malitiam, consvetudinem, educationis pravitatem, circumstantias, aut similem causam variare interdum possit. Hinc gentiles multas vanitates pro lege rationis & Naturæ susceperunt, & in dialogismis suis vani facti sunt. Sed applicatio prava & detorsio fuit, ipsa lex Naturæ in se vera, una, & justa permansit. C. 4 t. 3. 6. *Sic depositum reddendum esse, lex Naturæ dictat. Si id tamen Reipublicæ pernitiosum sit, aut furioso gladius reddendus sit, in tali casu præceptum deficit.* Quare sub certâ Circumstantiâ *talia præcepta intelligenda sunt, Vt depositum est reddendum* eo loco, tempore, modo, quo convenit & oportet, *Vt generalem & perpetuam veritatem assequantur.*

5. Immutabilitas est, quâ in naturâ sui, principiis & proximis conclusionibus, post lapsum mutari ab homine non potest, Etsi per lapsum fracta & imminuta sit, *ex plenâ notitiâ in obscuritatem, & habitu in dispositionem degenerârit, Et in circumstantiis ac specialibus applicationibus ob varias causas variationem admittere possit. Sic in cæcis gentilibus,* t. 4. *Sic his circumstantiis actus licitus & bonus esse potest. Aliis dissvaderi à lege Naturæ potest, tanquam non applicabilis. Bonum in se tale manet: sed ratio applicationis interdum deficit & variat.* V. Dec. 3. Misc. d. 2. t. 14. Obligationis universalitas est, quâ omnem hominem in universum ea obligat, nullus ab eâ eximi potest, etsi casus aliquis esse possit, ut ea locum habere non posse intelligatur, sed *actus locum habeat, qui materialiter legi adversus videatur, formaliter tamen & sub omnibus circumstantiis spectatus revera non adversetur. Sic Ægyptiorum spoliatio* Exod. 11. 12. *furtum videtur, non fuit.* Filiorum Adami *cum filiabus conjunctio incestus videtur. Sed lex*

Natu-

Naturæ in casu mundi primùm propagandi, Cum homines sat multi non essent, locum habere non debuisse intelligitur. Fratriam *ducere incestus non fuit,* Deut. 25. *Quia in casu hæreditatis lex Naturæ valere non debuit, sed objectum hoc è lege exceptum fuit, & in objecto ac casu mutatio facta divinitùs est, non lege. Nec dispensatio propriè est, quia in tali casu lex locum habere & obligare non debuit.* V. c. l. Etiam infantes obligat, *quia Naturâ legem in Cordibus scriptam habent,* Rom. 2. ℣. 15. *Vbi autem lex, ibi obligatio. Etsi accedente ætate & rationis usu agnitio & intensio obligationis accedere possit.*

6. Universalia ejus dictata sunt, quæ in Universi Oeconomiâ ab eâ suppeditantur, & ab homine utiliter observantur, ac ad imitandum proponuntur. *Talia sunt, Natura salutem & conservationem Vniversi solicitè quærit, intendit, promovet, in bonum cuncta bono & commodo modo dirigit, Vacuum in se ex intentione primariâ non admittit, sed quantum potest, refugit, Cum facultate agendi simùl instrumenta sufficit actioni idonea, & impedimenta studiosè removet, Industria & sedula parens est, semper in opere, nunquam in otio est, in necessariis non deficit, & in superfluis non abundat, ac defectum per alia, ut pia mater, compensare solet, & similia, quæ in* Physicis, & apud Meisnerum d. legib. l. 3. q. 13. aliosq; *videas. Quæ dictata homini specialiter in praxi suggerit,* t. 7. *videbuntur.* Differentia ejus à lege Mosaicâ est, quà ante lapsum cum ea est eadem, jam post lapsum variis modis ab ea differt. *Nam Lex Naturæ tempore prior est, Mosis posterior. Subjecto universalior est, omni enim homini innata, Mosis particularior, Judæis lata, Quà modum innata est, Mosis promulgata, claritate obscurior & semiplenior, Mosis plenior & clarior, unde magis Os obturatur,* Rom. 3. ℣. 19. *Et efficaciùs ad Christum Me-*

dicum quærendum per legem Mosis ut Pædagogum homo instigatur, Gal. 3. ℣. 25. *Instrumentali causâ communior, Natura & parentes eam congenerantes*, Cap. 3. t 5. *Mosis specialior, Ipse Moses: Et effecta languidior est, languidiùs enim agnoscitur, tenet, accusat, cum Mosis validiùs ista agat.*

7. Effecta ejus qualia in homine sint, ex attributis *patere potest.* t. 3. 4. Divisio ejus in primariam & secundariam esse potest. Primaria, quæ ipsa principia per se nota proponit. Hæc vel magis universalia esse possunt, *Vt bonum facere, à malo recedere, vel minus, ut honestè vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere. Si à nonnullis contraria horum apprehensa aut peracta fuerunt, omnia ex accidente & vitio personarum ac hominum, non ipsius legis Naturæ, aut principiorum ejus, acta fuerunt.* Cap. 5. t. 14. Secundaria, quæ conclusiones ex principiis deductas proponit. Hæ vel propiores, vel remotiores esse possunt. Propiores, quæ sine laborioso discursu veræ ac legitimæ esse deprehenduntur. *Vt, Deum colere, ejus nomine non abuti, diem cultui ejus destinare, superioribus obedire, non furari, adulterari, falsum testimonium dicere, vitæ commoda propugnare, noxia propulsare, &c.* Remotiores, quæ majore discursu opus habent. *Vt Magistratui censꝰ solvendus est. Tempore vetito vallum non transcendendum. Huc* leges speciales contractuum, præscriptiouum, emptionum, venditionum, *permutationum, & quæ specialiter in quavis Republica præscribi solent, pertinent.* Alii aliter *dividunt, ut in legem* appetitus Naturalis, *de servandâ Naturâ*, Animalis *de generatione & educatione*, Et rationalis *de vitæ honestate, pietate, probitate. Item in legem tabulæ primæ, quæ Dei cultum, & secundæ, quæ proximi forum concernit. Quæ* apud Meisnerum 3. d. Leg. q. 12. *videas.*

8. *Ita* Lex naturæ *fuerit :* Enuntiata practica primæ veritatis è notitia luminis naturalis derivata sunt Enuntiata aliqua naturaliter cognita, quibus intellectus de objecto practico ejusq; Natura & modo instruitur & perficitur. *Talia inter cœtera in* Intelligentia *proponuntur, cum* principia practica *ibi repræsentantur.* Quæ vel è generali boni considératione sumi dicuntur, *Vt, Omnia bonum appetunt, & quicquid appetitur, sub ratione boni appeti oportet, malum sub ratione mali appetibile esse nequit, Omne bonum aliquo modo & commoditate est sui communicativum :* Vel boni essentialis cum participato collatione, *Vt, Datur summum bonum, à quo & ad quod cœtera sunt, ipsum à nullo esse potest. Mali culpæ summum bonum author aut exactor esse nequit, etsi prævisor, director, & punitor ejus esse possit. Omne positivum, tanquam bonum, à Deo est :* Vel participati cum essentiali, *ut Creatura capi & decipi, & à perfectione suâ excidere potest, & sibi relicta interit. Deo magis, quàm hominibus creatura obedire debet. Omnia ad honestatem, non vitiositatem, & Reipubl. utilitatem, non perniciem componenda. Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris, & quod fieri vis, alteri præstiteris:* Vel participati cum seipso, *Vt, Superioribus obediendum, Inferioribus suaviter convivendũ est. Honesta jucunditas non aspernanda, sed legitimo tempore occupanda est. Mercaturam exercere fas est, & quæ similia sunt, quæ pluribus in* Intelligentiâ *proponuntur.*

9. *Ita* notitiæ practicæ activæ *fuerunt :* Organicæ & effectivæ sunt, quæ ad Poëticam aliquam liberalem effectionem tendunt, ut noëmata conformentur, quibus intellectus in cognoscendo meliùs & promptiùs adjuvetur. *Hinc* notiones istæ secundæ *sunt, qui in instrumentalibus habitibus efformantur & proponuntur, ut* in Logicâ, Grammaticâ, Rhe-

Rhetoricâ, Oratoria, Poëticâ, *Quæ ab intellectu in collatione rerum spectato formata sunt, ut dexteriùs, promptiùs, accuratiùs ornatiùs, & faciliùs in cognoscendis rebus procedere, aut cognitas proponere possit.* *Hinc* principia aliqua organica *ex istis notionibus sumpta & pro illis formata sunt, ex lumine Naturæ derivata, & per illud Naturaliter evidentia.* Notitiæ Organicæ vel ratione Vocum, vel conceptuum formantur. Vocum, quæ in rebus per voces exprimendas intellectum dirigunt. *Suntq́ vel pro congruè, vel pro ornatè loquendo. Vt,* Utendum *ubiq́ Grammaticâ, neq́ contra leges ejus in loquendo procedendum, sed barbarismus studiosè vitandus est.* Grammatica *ex classicis authoribus desumenda, & ad Eos conformanda est, non illi ad Grammaticam præcisè alligandi.* Leporem *verborum sectari fas est, & elegantiæ cultuiq́ sermonis operam dare humanum est.* Cultum *sermonis veritati rerum applicare, non anteferre decet.* *Ornatiùs est ligatè, quàm solutè loqui.* Conceptuum, quæ pro rebus meliùs cognoscendis, aut cognitis retinendis intellectum dirigunt. *Vt Logicæ & Mnemonicæ. Vt,* Notiones secundæ *rebus admotæ nihil in rebus mutant, nec dignitatem earum minuunt aut attollunt, sed in suo statu eas relinquunt.* Notio, *quâ datur melior, relinquenda, & melior recipienda est.* Memoriam *excolere fas est, & juvare partìm medicamentis, partìm artificiis eam licet, & quæ similia sunt, quæ etiam in* Intelligentia *proponi solent.*

10. *Sic* & notitiæ practicæ organicæ fuerunt, *quæ ad instrumentalem operationem* liberalem *referuntur, eamq́ adjuvant.* Jam *&* notitiæ naturales *dantur, ex quibus notitiæ* manuariæ ad effectionem illiberalem & manuariam seu opificiam Corporeis instrumentis mediantibus extruuntur. *Nam & harum fundamenta ex lumine Naturæ sunt sumpta, & bene-*

beneficio intellectus ab homine animadversa, elaborata, exculta, unde postea varia artificiosa opificia sunt exstructa, artesq́, quæ illiberales vocamus, enatæ, ut pistoria, sartoria, nautica, fabrilis, Mechanica, & similes, V. C. 4. t. 11. Ex notitiis naturalibus principia etiam pro his extrui possunt. Vt, Opificia manuaria *congruè exercere, competentem istis quæstum facere, & inveniendo ea excolere ac adjuvare licet.* Media pro illis *dexteriùs inveniendis & tractandis invenire & adhibere fas est.* Nemo ex eo, *quòd opificium exercet, inhonestus censeri, aut damnatus haberi debet, quasi Deo displiceat status iste. Nam quod lumini Naturæ consentit, Deo, qui Author ejus & omnis veritatis prima causa est,* Cap. 3. t. 1. Cap. 4. t. 1. 7. 8. *displicere nequit.* Factibilia sunt objecta artium manuariarum, circa quæ opifices occupantur. *Sic aurum & argentum aurifabri, stannum & stannea stannarii, materia libraria bibliopegi, ferrum fabri & cultrarii, lapis lapicidæ, lignum clinopegi, Capsarii, doliarii, plaustrarii & Carpentarii, Corium sutoris & ephippiarii, Limus Crustarii objectum & materia est, circa quam illi versantur.* Factibile *ingenio liberali non operationis, sed cognitionis gratiâ proponitur.* Cognitio factibilis *liberali necessaria est* & ob materiam, *quæ sæpè res Physica est, Vt aurum, argentum, Corium, stannum, lignum,* Et ob loquendi formas, *quibus vel ob vocum defectum vel suavitatem literati utuntur. Sic in* Sacris *multæ phrases ab opificiis desumptæ sunt, quas nunquam sufficienter explicabimus, nisi vocum talium gnari simus; Vt, dies velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur,* Job. 7. ℣. 6. Esai. 38. ℣. 12. *Ita parabolas de piscatoribus & sagena,* Matth. 13. *Aut dicta de figulis, fabris,* Job. 41. Esai. 29. 40. 44. 45. Jer. 18. Ezech. 24. Zach. 1. *Nemo intelliget, nisi qui vocum & rerum illis significatarum aliquam Cognitionem habue-*

habuerit. Simile in profanis authoribus occurrit, Vt ex Plauto, Cicerone, Livio, Tacito, aliisq; *patet.* Factibile objectum ut à Philosophico & omni liberali objecto *distinctum est, ita & distinctum habitum gignit, Mechanicam, à qua opifex Mechanicus dicitur.* Mechanicarum artium discrimen non ex materiali, sed formali sumendum est. *Sic circa corium & sutor & ephippiarius versatur, sed alio modo, forma, & fine, unde diversæ appellationes illorum.* Factibile aut necessarium *est, Vt sutorium, sartorium, pistorium, textorium,* Aut Voluptarium, *ut Libarium, Crustularium, stannarium, tonsorium, &c. Et quæ similia esse possunt, De quibus in* Gnostologiâ *pluribus agi solet.*

11. Sed ad opificia *non sunt referenda ea, quæ Naturâ sui sunt inhonesta, adeoq; ab lumine Naturæ reprobantur, non admittuntur. Vt, lupanaria exercere, usuras propriè dictas, h. e. mordentes & furaces excolere, piraticam illegitimam extra bellū & causam satis sonticam exercere, histrioniam & scurilitatem colere, aleam aut Chartas lusorias pro quotidiano victu exercere, latrociniis victum quæritare. Hæc enim omnia* lumini Naturæ *adversantur, quod rectè se habens talia reprobat & damnat, non facienda suadet, aut facta probat vel excusat, eòq; ad ea, quæ ex lumine Naturæ ortum trahunt, pertinere non possunt.*

12. *Ita* & divisio notitiarum ex objectis, *ad quæ feruntur, fuit. Restat* ea, quæ ex gradibus est. Hæc est, quà secundùm magis & minùs, perfectius & imperfectius, variari possunt. *Ita notitia Naturalis* vel plenior & illustrior, vel simplicior & obscurior esse *potest.* Plenior, quæ citiùs, copiosiùs, & faciliùs se prodit, *Vt in egregiis & heroicis ingeniis, quæ facilè ad intelligentiam perveniunt, & sine negotio principia & conclusiones inde deductas formant, ac formatas percipiunt.*

semiplenior, quæ parciùs & tardiùs se prodit, ut *in tardis & Beothiis ingeniis, quæ veritates etiam satis interdùm manifestas difficiliùs percipiunt ac animadvertunt. Vnde decantata quarundam gentium stupiditas, ut* Tracum, Arcadum, Bœothiorum, V. C. 7. t. 2. *Ita diversitates Ingeniorum experientiâ teste animadvertimus, & unum longè promptiùs ac paratiùs, alterum longe tardiùs ac difficiliùs scientias admittere videmus. Sic* Græci, Romani, Itali, *Ingeniosi & faciles ad capiendum:* Thraces, Iberni, Hungari, Arcades, Tartari, *stupidi & tardi ad intelligendas artes, &c. Illam subjectorum diversitatem & notitiæ naturales in gradibus suis æmulari possunt. Vnde* gradualis earum divisio *petitur.*

CAPUT VII.

De Cognatis & Oppositis Notitiarum Naturalium.

THESIS I.

SIc & species Notitiarum Naturalium *universæ fuerunt: Sequitur,* Ut respectivè cum Cognatis, diversis, & oppositis *ea spectentur.* Cognata Notitiarum Naturalium sunt omnes notitiæ habituales in homine, *sive ea de Objecto* liberali *sint, Vt Theologicæ, Philosophicæ, Juridicæ, Medicæ, sive* illiberali, *Vt Mechanicæ, Veluti Nauticæ, fabriles, sartoriæ, sutoriæ, Equestres, frænifactoriæ, sive de Objecto* reali & principali, *Vt Physicæ, Mathematicæ, Ethicæ, Juridicæ, Medicæ, sive* notionali & instrumentali, *ut Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Poëticæ. sive de theoretico, ut Metaphysicæ, Pneumaticæ, Physicæ, Mathematicæ, sive practico, ut Ethicæ, Politicæ,*

Oeconomicæ, Juridicæ, *sive effectivo, ut Medicæ, sive composito & aggregato, ut Theologicæ & Philosophicæ, quarum objecta totalia & adæquata aliquid Theoretici & Practici simul involuunt & comprehendunt, ut in* Coronide Logicâ & Præcognitis Theologicis *dictum: Item* omnes dispositiones ad notitias habituales, *quales in tyronibus & incipientibus disciplinarum sunt, Vt cum Grammaticæ, Logicæ, Physicæ, Mathematicæ, Jurisprudentiæ cognitio paulatim ab homine acquiritur, donec plenus habitus disciplinaris introducatur:* Omnes item notitiæ concreatæ & naturales in angelis bonis & malis, *Quibus cognitio Naturalis Dei, Entis, legis Naturæ, discriminis honestorum & turpium verè competit, & à Deo in primâ creatione impressa fuit, etsi in Diabolis horribili confusione & detorsione per apostasiam corrupta fuerit, Vt* in Michaelibus t. 25. & 70. *dictum fuit:* Omnia item ingeniosa inventa, partim *disciplinas concernentia, ut literarum, scripturæ, Typographiæ, Systematum disciplinarium, globorum cœlestium & terrestrium, Mapparum Geographicarum & Topographicarum,* partim *Mechanicam, unde varia instrumenta Optica, Musica, Geodætica, Arithmetica, Architectonica, Statica, Astronomica, Astrologica, quæ insigni usui ad varias observationes ac perfectiones Mathematicas esse possunt, ut in Mathesi ostenditur,* partim *instrumentales habitus attinentia. Vt varia compendiosa inventa in Logicis, Grammaticis, Lexicis, Poëticis, unde novæ & commodiores Didacticæ: Vt* Ratichii, Rhenii, Ezech. Vogelii, *Aut januæ linguarum,* Ut Patrum Hibernorum, Comenii, & aliorum. *Varia item adjumenta mnemonica, memoriam & recordationem humanam juvantia, Vt versus memoriales,* Grammatici, *Vt* Despauterii, Biblici, *Vt* Martinii, Himmelii, Culovii, Mentzeri, *Voces technicæ, loca & imagines mnemonicæ, & similia, de quibus suis locus tradi solet.*

2. Di-

2. Diversa notitiarum Naturalium eædem notitiæ esse possunt. Habituales, *quòd hæ omnes ordinariè acquisitæ sint, nullæ homini connatæ, Nec hodiè ulli mortalium aliquis scientiæ habitus connascitur, sed cum habituali ignorantiâ rerum omnium homo nascitur, sæpè etiam vix inventas & paratas artes satis discere aut assequi per stuporem ingenii potest, Unde proverbia nata,* Thracum stupiditas, Arcadicum germen, aut pecus, sue stupidior, nec quid, nec quantum, nec quale novit, Philonide indoctior, nec literas nec natare doctus, ne tria quidem Stesichori novit, Quanta longitudo, latitudo, & profunditas, tanta est stultitia. *Et illud* Horatii: Culpa docentis Scilicet arguitur, Quòd lœva in parte mamillæ nil salit Arcadico Juveni. *Inter Naturales autem Notitias multæ connatæ sunt,* Cap. 1. t. 5. Cap. 5. t. 1. Habituales *etiam plenæ, distinctæ, accuratæ, & claræ sunt,* Naturales *inchoatæ, obscuræ, inaccuratæ, ac inelaboratæ sint.* Habituales *accidentaliter homini insunt, abesse ac amitti ab eo possunt, ad perfectionem ejus essentialem consequentem non pertinent, sed accidentalem, & accidentaliter saltem hominem perficiunt:* Naturales *essentialiter ei competunt, Ut perfectiones propriæ menti ejus inhærentes & ab eâ fluentes, abesse & amitti ab homine non possunt, etsi dissimulari possint,* Cap. 1. t. 17. *Semper & perpetuò homini à primo ortu usq; ad extremum vitæ insunt, quamdiu anima rationalis ipsi inest, ad perfectionem hominis essentialem consequentem pertinent, tanquam proprietates menti hominis congeneratæ, & hominis Naturæ ac perfectioni essentiali debitæ.* Habituales *successu ætatis demùm in hominem inducuntur:* Naturales *quædam à primo ortu connascuntur & generando implantantur.* Habituales *coram Deo in foro Conscientiæ inexcusabile humanũ genus non reddunt, quòd non excultæ aut acquisitæ fuerint, sed*

Eos tantùm, quos Deus ingenio, mediis, & occasionibus ad eas acquirendas instruxit: Naturales *totum genus humanum inexcusabile reddunt, Vt omnis caro rea peccati Deo fiat.* Cap. 4. t. 12. Dispositivæ, *quòd hæ etiam per usum aliquem in hominem introductæ sint, Vt dispositio ad citharisandum, Grammaticandum, Rhetoricandum, ratiocinandum, non connatæ sint, quod interdum Naturales Notitiæ sunt: Non necessariò & perpetuò homini insint, ut hæ; Sed abesse & adesse illi possint, nec coram Deo prorsus inexcusabilem hominem reddant, Vt hæ:* Idem *& in instrumentalibus habitibus procedit, qui similibus modis à notitiis Naturalibus diversi sunt.*

3. A notitiis angelicis differunt Notitiæ Naturales, *quòd illæ angelorum ut subjectorum propriæ sint, hæ hominum:* Illæ *propriè Concreatæ & creando à Deo impressæ angelis omnibus unâ vice simùl creatis sint,* hæ *soli inter homines Adamo & Evæ concreatæ sint, reliquis omnibus ab Adamo propagatis innascantur ac generando implantentur.* Ab ingeniosis inventis differunt; *quòd hæc ad perfectionem hominis accidentalem pertineant, illæ ad essentialem,* t. 2. Hæc *paucorum ac rari & singularis ingenii hominum sint, à quibus proficiscantur:* Illæ *omnium in universum sint, & nullus hominum sit, qui eas in se non habeat,* Cap. 4. t. 10. *Etsi alius magis alio eas adhibeat & excolat.* Hæc si *absint ab homine, aut non inventa ab eo sint, inexcusabilem eum coram Deo non præcisè reddunt:* Illæ *id omninò præstant.* Cap. 4. t. 12. Hæc *ad statum hominis meliorem & perfectiorem faciunt, Vt commodiùs, svaviùs, splendidius, & perfectiùs vivere possit:* Illæ *ad statum hominis simpliciter, Vt homo est, pertinent, Vt sine illis ne quidem ut animal rationale satis vivere possit, Cum nec fundamenta honesti aut inhonesti, nec ullius Notitiæ sine illis habiturus esset, sine quibus tamen absolutè*

homini

homini vivere non datur, Cum quasdam notitias ad vitam humanam omninò necessarias esse certum sit, Ne pecudis aut bruti in modum homo vivat. Cap. 4. t. 10.

4. Opposita deniq; Notitiarum Naturalium primaria & secundaria sunt. Primaria, quæ magis directè illis repugnant, *Vt Ignorantia & inscitia Naturalis, quà nihil de Deo aut principiis connatis scitur vel curatur. Hæc per Naturam in homine esse non potest,* C. 1. t. 5. seq: Sed per affectationem & malitiam *in homine est, & esse potest. Et quidem* quinq; *maximè modis.* 1. Per inaccurationem & incuriositatem, *Cum homo notitiam sibi insitam non curat & attendit, sed quasi nullam habeat, prætermittit & prætervehitur, ac instar bruti vitam tantùm animalem, non rationalem, vivere eligit. Hæc securitas aliqua Carnalis & damnosa est, & in multis gentilibus ac barbaris obtinuit, qui Deum esse scire potuerunt, sed per inadvertentiam non curârunt. Hoc modo* Americani quidam, *Vt Historiæ referunt, prorsus nihil de Deo sciverunt, & si quid à Christianis traderetur, parum nosse curaverunt. Sic quidam homines ut pecudes vivunt, edunt, bibunt, dormiunt: Nosse aliquid nec curant, nec spectant. Sic de* Equitibus Teutonicis *quondam dictum:* **Kleider auß/ Kleider an/ Essen/ Trincken/ Schlaffen gan/ Jst die Arbeit/ so die Teutschen Herren han.** *Vt* Micrælius l. 3. Hist: Eccles. p. 777. *refert.* 2. Per suppressionem ac suffocationem, *Cum homo notitias Naturæ in se sentit, sed malitiosè eas supprimit & suffocat, ne in cultum aliquem florescant, aut in usum excrescant. Ita Impii & Athei Deum esse negant, etsi ex Naturâ & Conscientiâ eum esse convicti sint.* Cap. 5. t. 9. *Sic* Caligula *Nemo unquam audaciùs Deum negavit, Nemo furentiùs negatum contemnere studuit. Sic impii lumini Naturæ vim inferre malunt, quàm ob-*

 tem-

temperare. Huc Medea *pertinet cum isto suo,* Video meliora proboq;, Deteriora sequor.

5. 3. Per apertum contemptum & irrisionem, *quomodo Empectæ omnia, quæ de Deo, virtute, & honestate sectandâ ex Naturæ lumine proferri solent, risu excipiunt, ac tonitrua & fulgura, quæ nonnisi à Numine aliquo principaliter proficisci posse ex Naturâ scimus, contemnunt, nasoq; suspendunt. Ita* Cyclops apud Euripidem *non ulla numina se expavescere cœlitum dicit, sed victimas uni Deorum maximo, Ventri, se offerre, Deos cæteros ignorare & ridere.* 4. Per horribilem detorsionem ad errores & falsas sententias, variosq; διαλογισμὺς, in quibus vani fiunt homines. *Quomodo gentiles notitiam Naturæ de Deo ad commentitios suos Joves, Vulcanos, Cereres, Apollines, Minervas, de virtute ad communionem rerum Platonicam, furta, latrocinia, & adulteria probanda detorserunt.* C. 4. t. 3. 6. Anabaptistæ *doctrinam de amicitiâ inter homines colendâ, quæ naturaliter nota, ad rerum communionem, de lenitudine exercenda ad scelerum impunitatem, & gladii jus Magistratui adimendum detorquent.* 5. Per apertum abusum ad scelera & manifestas impietates, *quomodo gentiles horrendis sceleribus se polluerunt, quæ lumine Naturæ abominabilia esse sciverunt, & Dei jus cognoverunt super tales,* Rom. 1. ℣. 26. seq. *Deumq; sceleribus colere intenderunt, Unde impia & horrenda sacra interdum apud illos, quæ ipsum lumen Naturæ detestanda esse dictat,* Cap. 4. c. 1. *Sic Persæ incestus, Germani latrocinia probabant.* Cap. 4. t. 6. *Apud Babylonios & Ægyptios parentes cum liberis coire non turpe habebatur.* Tiraquell. l. 7. Connub. n. 22. *Quæ omnia Lumen Naturæ damnata habet.*

6. Secundaria Opposita sunt, quæ magis indirectè illis repugnant. Talia sunt varii errores *de notitiis Naturalibus,*

bus, quibus vel per excessum vel defectum circa illas peccatur, & vel nimium, vel nimis exiguum illis adscribitur, de quibus C. 1. t. 10. 15. 16. *actum.* Item, *quæ remoras & impedimenta notitiis Naturalibus inferre possunt, quibus vel supprimantur eæ, vel detorqueantur, vel ab usu, exercitio, & accretione in homine detineantur, ut pravitas ingenii, mala educatio, detorta assvetudo, peccandi frequentia & habitus, Voluptates Mundi, quibus scientiæ in homine suffocantur, studia aliena, vana, & mundana, quibus notitiæ humanæ impediuntur, feritas morum & bestialitas, quâ omnis cultus humanus excutitur, consequenter & Naturæ notitia in homine exterminatur, & similia.* Quidam *& fidem salvificam inter Opposita notitiæ Naturalis referunt, & Naturalem notitiam fidei salvificæ adversari scribunt, Vt* Schroderus de nat: Dei not: C. 2. t. 4. *Cum quo* Hoffmannus *& Complices faciunt,* V. C. 1. t. 16. C. 3. t. 3. *Sed per notitiam Naturalem non ipsa principia Naturæ verissima & hominis menti à Deo inserta intelligenda sunt, quorum Author Deus ipse est,* C. 3. t. 1. 2. *Et quæ adeò fidei non contrariari possunt, ac nec Deus sibi ipsi contrariari, aut unum Dei donum alteri adversari potest; Vt in* Coron. Logicâ & Tract. de Opposit. Enuntiatorum C. 2. t. 12. 13. ostendi: *Sed* prudentia Carnis, ut sic, *scientia hominis animalis ac irregeniti, ut formaliter talis est, quæ semper Spiritui repugnat,* C. 3. t. 3. Cap. 4. t. 4. 5. *Notitia autem Naturalis non est carnis & irregeniti, ut sic, sed Naturæ & hominis, Vt rationale quid est, & lumen Intellectus à Deo habet, qui tàm luminis Naturæ, quàm gratiæ author est.* Lumen autem lumini *propriè non adversatur, sed ab eo diversificatur, Vt* pluribus C. 1. *tractatum. Hæc de* Notitiis Naturalibus *in gloriam Dei & literarum incrementum disceptata sufficiant.*

Aucta-

AD Cap. 3. t. 15. *& hoc addi potest.* Dices: Deum esse *naturaliter agnoscitur*, Cap. 5. t. 10. *Sed Deus est idem ac Elohim, quod nomen pluralitatis alicujus in Deo est. E. & pluralitas aliqua in Deo naturaliter agnoscitur, Et sic Trinitas.* R. Negatur, Vocem Dei idem notare ac Elohim, *eoq́; Deo cognito ex Naturâ statim & Elohim eum esse, & plurale quid in se continere, cognosci.* Verè *utrumq́;* de *Deo dicitur, Deus & Elohim, prout & sub utroq́; nomine in Script. repræsentatur. Sed non statim idem utrumq́; significat aut ex suo significato proponit, sed longè plus importat Elohim, ac Deus.* Dei vox *ens summum ac independens notat, quem scriptura Patrem Dn. N. I. C. passim appellat.* Sed Elohim *aliquid in Deo, Middoth, ut* Hebræi, *supposita aut personas, ut* Christiani, *Domum* Judicii *seu* Judi*cantes illos inappellabiles, Vt prisci* Hebræi, *processiones, ut Patres, vocant illa, quæ in Deo & à Deo ante secula jam sunt, Pat. filium Spiritum Sanctum, ut ex utroq́; Testam: scimus, notat, Nec ita Nomen essentiale Dei est, ut Deus,* Jehova, *El, & simile, Sed aliquid amplius includit, quàm ex nudâ Dei voce innotescit. Vt loca* Scripturæ *vocem adhibentia testantur. Eoq́; ex uno Naturaliter cognito ad alterum inferre non est Consequentia, Vt pluribus ad duernionem tituli* in Tractatu hoc, *si spatium fuerit, dicturus sum.*

FINIS.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.